

IDAD AU
CCIÓN GE

The image is a dark, moody composition with a grainy texture. It features several large, semi-transparent text elements in a serif font. The top line reads 'GODS AND' in a light beige color. Below it is another line of the same text in a darker beige. The bottom line, 'LAW', is in a bright yellow color. The background is a dark, mottled grey and black, with some faint, glowing shapes that suggest a celestial or divine atmosphere.



BT2621
.C3
1901

A blurry photograph showing a large, light-colored building with a prominent red roof, likely a church or temple, situated on a hillside. The foreground is filled with green trees and bushes. The background is a bright, overexposed sky.

A photograph of a person sitting on a wooden bench in a park. The person is facing away from the camera, looking towards a bright, colorful sunset or sunrise over a body of water. The sky is filled with warm colors like orange, yellow, and pink. In the background, there are trees and a distant shoreline. The overall atmosphere is peaceful and scenic.



1080020533




Al muy respetable
Sr. Canónigo Lic.
D. Emeterio Valverde
Seller en señal de
mucho aprecio y es-
timación
S.S. q Cap afro qne
a. b. s. m.

ACCESSUS AD ALTARE
ET RECESSUS.


PROF. Rafael Garay

Méjico, 18 de Julio
de 1908.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



Biblioteca Valverde y Telles
FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MCMI.
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

44289



FONDO EMETARIO
VALVERDE Y TELLEZ

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae, die 29. Octobris 1901.

Thomas, Archieps.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE MEXICO
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

INDEX ALPHABETICUS

	Page
Accessus ex Missali romano	112
Accessus pro Dominica	111
Accessus pro Feria secunda	24
Accessus pro Feria tertia	34
Accessus pro Feria quarta	45
Accessus pro Feria quinta	56
Accessus pro Feria sexta	68
Accessus pro Sabbato	80
Accessus pro Missa defunctorum	91
Actus theologici et contritio	7
Ad mensam dulcissimi convivii tui	121
Adoro te devote, latens Deitas	134
Adspirationes ad Spiritum sanctum	168
Adspirationes s. Ignatii ad SS. Redemptorem	19
Angeli, Archangeli, Throni	141
Anima Christi, sanctifica me	19
Ante oculos tuos, Domine	136
Benedictum sit dulce nomen	101
Canticum trium Puerorum	127
Cor Iesu, cor purissimum	174

007487

	Pag.
Ego volo celebrare	12
En ego, o bone et dulcissime Iesu	166
Formula consecrationis ad SS. Cor Iesu	179
Gratias tibi ago, Domine	131
Hymnus ad Spiritum sanctum	164
Hymnus ad SS. Cor Iesu	169
Hymnus SS. Ambrosii et Augustini	189
Iesu dulcissime, Redemptor	179
Invocatio Spiritus sancti	164
Litaniae de Sacro Corde Iesu	176
Litaniae de SS. Nomine Iesu	180
Litaniae Lauretanae B. M. V.	185
Monita ad sacerdotem	1
Obsecro te, duleissime Domine	165
O felicem virum beatum Ioseph	140
O Maria, virgo et mater	162
O mater pietatis et misericordiae	139
Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo	123
Oratio ad B. V. Mariam	139
Oratio ad Iesum crucifixum	167
Oratio ad omnes Angelos et Sanctos	141
Oratio ad omnes Sanctos	160
Oratio ad S. Iosephum	140
Oratio ad Sanctum vel Sanctam	141
Oratio ante imaginem Crucifixi	192

	Pag.
Oratio S. Ambrosii dispertita	112
Oratio S. Ambrosii alia	121
Oratio S. Augustini ad B. V. Mariam	159
Oratio S. Augustini, edita iussu Urbani VIII	136
Oratio S. Bonaventurae	133
Oratio S. Thomae ante Missam	123
Oratio S. Thomae post Missam	131
Orationes in induendis paramentis	125
Orationes S. Alphonsi	142
O sacratissima, o serenissima	163
O sancte (sancta) N.	141
O Sancti Dei omnes	165
Preces post Missam privatam	192
Psalmus: Benedixisti, Domine	104
Psalmus: Credidi, propter quod	107
Psalmus: De profundis clamavi	108
Psalmus: Inclina, Domine	105
Psalmus: Laudate Dominum	129
Psalmus: Quam dilecta tabernacula	102
Recessus ex Missali romano	127
Recessus pro Dominica	19
Recessus pro Feria secunda	29
Recessus pro Feria tertia	41
Recessus pro Feria quarta	51
Recessus pro Feria quinta	63

	Pag.
Recessus pro Feria sexta	75
Recessus pro Sabbato	86
Recessus pro Missa defunctorum	97
Rhythmus S. Thomae ad s. Eucharistiam	134
Salve Regina	102
Sequentia de Spiritu sancto	165
Te Deum laudamus	189
Transfige, dulcissime Domine	133
Veni, Creator Spiritus	168
Veni, o Spiritus Sapientiae	172
Veni, sancte Spiritus	174
Virginum custos et pater	164

PRAEAMBULA.

MONITA AD SACERDOTEM¹.

I. Cogita, sacerdos, et recogita: Persona, quam in altari repraesentas, Christus est, Deus-homo; potestas, qua fungeris, divina est; dominus, cui sacrificas, Dominus est caeli et terrae; victima, quam offers et sumis, sanctissimum est Christi Domini corpus et pretiosissimus sanguis cum divinitate. Quanta proin in te requiritur cordis et corporis munditia, quanta devotio, quanta

¹ Haec «Monita ad Sacerdotem» et ea, quae immediate sequuntur, scilicet «Actus theologici et contritio», «Accessus et Recessus pro singulis hebdomadæ diebus» nec non «Accessus et Recessus pro Missa defunctorum», deprompta sunt ex libello quodam veteri, cuius titulus est: Thuribulum aureum ad incensum Domino offerendum, praesentatum a P. Angelino Brinckmann, olim Ordinis S. Francisci Fratr. Minor. Recoll., Coloniae Agrippinae 1777.

reverentia et attentio! Audi et contremisce:
Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.

2. Recommendata tibi habe puncta, a S. Carolo episcopo in synodo Mediolanensi praescripta: Ut sacerdotes singulis hebdomadibus peccata sua confiteantur, etsi gravia (quod absit) non occurrant, et ut ante celebrationem missae sese recolligant, quid facturi sint et in quo statu.

3. Sumens paramenta sacerdotalia verbis ora per preces missalis. Postea mente subiunge ad amictum: *Domine Iesu Christe, per spineam coronam capitum tui, miserere mei;* ad albam: *Domine Iesu Christe, per illusionem tuam in veste alba, miserere mei;* ad cingulum et manipulum: *Domine Iesu Christe, per funes, quibus ligatus fuisti, miserere mei;* ad stolam et casulam: *Domine Iesu Christe, per baiulacionem crucis tuae miserere mei.*

4. Sumpto calice incessu gravi ac modesto sine cursitatione, oculis demissis,

accede ad altare simulque ora: *In nomine Patris etc. Domine Iesu Christe, tu es sacerdos in aeternum; tu baiulans crucem ivisti in montem Calvariae, te oblaturus in sacrificium cruentum. Ego, sacerdos tuus, vado ad altare, te oblaturus in sacrificium incuruentum. Suscipiat Dominus hoc sacrificium de manibus meis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque ecclesiae suae sanctae. Amen.*

5. Missa perquisita descendens ad gradus altaris attentionem et intentionem renova: *Deus, in adiutorium meum intende; Domine, ad adiuvandum me festina, ut attente, pie ac devote celebrem sacrificium missae, sitque divinae maiestati tuae acceptabile in honorem... (ad intentionem..., pro ...).*

6. Verba omnia clare et distincte pronuntia, pios sub illis affectus elice et cave ab indevota festinatione.

7. Sub sacrificio sis memor mysteriorum vitae et passionis Christi, quae sacri-

ficum hoc incruentum cruenti commemora-
tivum significat.

8. Tenens hostiam, consecratus in-
tentionem mentaliter renova, v. g.: *Volo
consecrare, sicut Christus instituit et sancta
ecclesia facit.* Hostiam, ut videri possit,
eleva.

Affectus sub elevatione sanctae Hostiae:
*Jesu, tibi sit gloria,
Qui exaltatus in cruce,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna regnas saecula. Amen.*

Affectus sub elevatione Calicis:

*Salve, Sanguis pretiosissime,
Peccata mundi abluens,
Dona superna influens;
Me peccatorem ablue,
Dona superna influ.
Domine Iesu Christe, te quaesumus, tuis
familis subveni, quos pretioso Sanguine
redemisti.*

9. Ad primum *Domine, non sum dignus
subintellege: propter vilitatem meam;* ad
secundum: *propter peccata mea;* ad ter-
tium: *propter infinitam dignitatem tuam.*

10. Affectus sumpta sancta Hostia: *O
Iesu, Fili Dei vivi, ego credo, te realiter
esse in sacra Hostia, quia tu hoc instituisti
et dixisti, qui es veritas; ego amo te, ego
adoro te. O Iesu, tu es panis vitae, vi-
vifica me; tu es Hostia sancta, sanctifica
me; tu es Salvator mundi, salva me;
aeterna fac cum Sanctis tuis in gloria
numerari. O Iesu, sis mihi viaticum in
morte, sis portio mea in terra viventium.*

11. Sub sumptione Calicis cogita: *Do-
mine Iesu Christe, tu dilexisti nos et la-
visti nos a peccatis nostris in sanguine
tuo. O Iesu, ego diligo te; amplius lava-
me ab iniuitate mea, et a peccatis meis
munda me.*

12. Affectus sumpto Calice: *Domine,
Deus noster, dare digneris desideratum*

huius sacrificii effectum, ecclesiae tuae incrementum et pacem, haereticis et infidelibus donum verae fidei, regibus et principibus christianis veram concordiam, domui nostrae et huic patriae benedictionem, defunctis requiem, mihi servo tuo coram te servire in sanctitate et iustitia omnibus diebus vitae meae.

13. Dicens *Dominus vobiscum* subintellege: a) post Confiteor ante gradus altaris *Dominus vobiscum* in annuntiatione et incarnatione; b) post Gloria *Dominus vobiscum* per nativitatem; c) ante Evangelium *Dominus vobiscum* ad audiendum et intellegendum evangelium; d) post Credo *Dominus vobiscum* ad credendum et faciendum; e) ante Praefationem *Dominus vobiscum* ad gratias agendum et iubilandum propter incarnationem et redemptionem; f) ante Postcommunionem *Dominus vobiscum* per resurrectionem; g) post ultimas Collectas *Dominus vobiscum* per gratiam et protectionem; h) ante ultimum Evan-

gelium *Dominus vobiscum* ad evangelium servandum, propagandum etc.

14. Sacro finito cavendum, ne statim depositis paramentis ad vana et profana dilabaris, omissio Recessu.

ACTUS THEOLOGICI ET CONTRITIO¹.

Deus caeli et terrae, ego N., indignus famulus tuus, credo in te Deum meum, vivum et verum, trinum in personis, unum in deitate. Credo in Deum Patrem creatorem, Filium redemptorem, Spiritum sanctum sanctificatorem meum. Credo in Deum ultimum finem meum, bonorum

¹ Benedictus XIII concessit illi, qui sequentes actus ante vel post missam vel alias pro opportunitate affectuose elicuerit, toties quoties septem annorum indulgentiam; et si hoc quispiam per mensem quotidie continuaverit, lucratur non tantum semel in mense, sed etiam in hora mortis indulgentiam plenariam, quas omnes indulgentias quisque vel sibi ipse, vel animabus in purgatorio applicare potest.

retributorem, malorum vindicem iustissimum. Credo et confiteor fidem illam sanctissimam, quam Jesus Christus docuit, Apostoli praedicarunt, quam sancta romano-catholica tenet Ecclesia, et in hac sancta salvifica fide protestor me vivere et mori velle, quia tu, Deus, illam revelasti, qui omniscius nec falli nec ut aeterna veritas fallere potes.

Spero in misericordia tua infinita, o Deus, auxiliator unice et potentissime corporis et animae meae, et spero in pretioso sanguine Iesu Christi, salvatoris mei, cum tanta caritate pro me fuso, quod remissurus sis mihi omnia et singula peccata totius vitae meae et datus mihi gratiam ac vitam aeternam, quia promisisti et fidelis ac omnipotens es in tuis promissis adimplendis.


Amo te, o amabilissime Deus, summum et infinitum bonum, abyssum omnis perfectionis. Amo te propter tuam essentialiem et intrinsecam bonitatem, pulchritudinem et amabilitatem. Amo te, quia es omni-

possibili amore et honore dignissimus; atque utinam te amare possem omni illo ardentiissimo amore, quo te amant et in aeternum amabunt omnes sancti Angeli et Beati in caelo, quo te amant et amare possunt omnes creature actuales et possibles in terra, cum quorum omnium ardentiissimo amore coniungo imperfectissimum amorem meum.

Et ex hoc coniuncto ardentiissimo tui amore, o Deus, te offensum ex animo doleo, abominor, execror et retracto omnia et singula peccata totius vitae meae. Utinam, mi Deus, utinam facere possem, ut ea numquam fecisset! Malo mori, quam te, amantissime Deus, posthac ullo umquam peccato, praesertim mortali, offendere.

Propono item, cum praemissa frequenter sacramentali confessione sacrosanctum missae sacrificium quotidie, nisi legitimate impeditus, celebrare; desidero etiam, quandcumque divinae tuae voluntati me ex hac vita evocare placitum fuerit, non

aliter quam sacro corporis tui viatico
munitus decadere. Da mihi gratiam tuam,
mi Deus, ut haec sanctissima mysteria
semper in vita et praesertim in morte digne
obire valeam. Tu quoque, sanctissima
Virgo, mater Dei et mea, ora pro me nunc
et in hora mortis meae. Amen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ACCESSUS ET RECESSUS PRO SINGULIS HEBDOMADAE DIEBUS.


ACCESSUS PRO DOMINICA,
unitati et trinitati maiestatis divinae sacer.

Monitum ad sacerdotem.

*Quodsi necessario fatemur, nullum
aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi
fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum
tremendum mysterium, quo vivifica illa
Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus,
in altari per sacerdotes quotidie immo-
latur: satis etiam appareat, omnem operam
et diligentiam in eo ponendam esse, ut,
quanta maxima fieri potest, interiori cor-
dis munditia et puritate atque exteriori
devotionis ac pietatis specie peragatur¹.*

¹ Conc. Trid. sess. XXII, can. 9, decret. de
observandis et evitandis in celebratione missae.

aliter quam sacro corporis tui viatico
munitus decadere. Da mihi gratiam tuam,
mi Deus, ut haec sanctissima mysteria
semper in vita et praesertim in morte digne
obire valeam. Tu quoque, sanctissima
Virgo, mater Dei et mea, ora pro me nunc
et in hora mortis meae. Amen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ACCESSUS ET RECESSUS PRO SINGULIS HEBDOMADAE DIEBUS.

ACCESSUS PRO DOMINICA,
unitati et trinitati maiestatis divinae sacer.

Monitum ad sacerdotem.

*Quodsi necessario fatemur, nullum
aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi
fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum
tremendum mysterium, quo vivifica illa
Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus,
in altari per sacerdotes quotidie immo-
latur: satis etiam appareat, omnem operam
et diligentiam in eo ponendam esse, ut,
quanta maxima fieri potest, interiori cor-
dis munditia et puritate atque exteriori
devotionis ac pietatis specie peragatur¹.*

¹ Conc. Trid. sess. XXII, can. 9, decret. de
observandis et evitandis in celebratione missae.

PRECES.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Ego volo celebrare missam et confidere corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi iuxta ritum sanctae romanae ecclesiae ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiae triumphantis; ad utilitatem meam totiusque curiae militantis; pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, ac pro felici statu sanctae romanae ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatiu[m] verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen¹.

¹ Gregorius XIII cuilibet sacerdoti ante missam hanc orationem: *Ego volo* etc. devote recitanti indulgentiam 50 dierum concessit.

Ad SS. Trinitatem.

Benedicta sit creatrix et gubernatrix omnium, sancta et individua Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus Deus, unus Dominus, nunc et semper et per infinita saecula saeculorum. Amen.

Credo in te, o infallibilis veritas; spero in te, o aeterna felicitas; amo te, o infinita bonitas; revereor te, o tremenda maiestas; glorifico te, o incomprehensibilis deitas. Doleo medullitus, quod umquam et umquam offendierim te; propitius esto mihi peccatori.

O summa Trinitas, immensa maiestas, Deus meus, Dominus meus, ego, servorum tuorum minimus, confiteor et congratulor te Patrem et Filium et Spiritum sanctum, in personis trinum, in substantia unum, verum, solum Deum.

Te, uni-trine Deus meus, sine fine, sine mensura amare et adorare concupiscit ac debet anima mea; propterea offero tibi id, ad quod accedo, ineffabile sacrificium.

Offero tibi, o Pater caelstis Deus, quia est sacrificium dilectissimi Filii tui; offero tibi, o Fili homo-Deus, quia est sacrificium tuum, a te institutum, per te peractum, ex te confectum; offero tibi, o Spiritus sancte Deus, quia est sacrificium, per te in Virgine praeparatum.

Accipe ergo, o ineffabilis Trinitas, ineffabile sacrificium, quod tibi ex corpore et sanguine Iesu Christi offerimus et immolamus; accipe illud, quod sapientia tua invenit, bonitas tua instituit, potentia tua peregit et peragit; accipe illud, quod tibi soli est debitum nosque offerimus in recognitionem supremi tui in omnes creaturas dominii; accipe illud, per quod sit tibi honor et gloria in saecula saeculorum.
Amen.

Applicatio.

Itaque, Deus caeli et terrae, infinite amabilis et omnium bonorum fons indeficiens, ego, ecclesiae tuae minister indignus, ante thronum gloriae tuae quam maximo

possum amoris, reverentiae et devotionis affectu volo et intendo hodie sacrosanctum sacrificium altissimae maiestati tuae offerre, nempe celebrare missam, et intendo in celebrando facere, quod sancta ecclesia in celebrando intendit et facit, et quod Christus, summus pontifex noster, fecit et instituit in ultima coena, scilicet celebrare et consecrare corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi tamquam minister ecclesiae in persona Christi, et sacrificium illud offero divinae maiestati tuae in unione illius admirabilis sacrificii, quod idem Dominus noster Iesus Christus in ultima coena instituit et in cruce consummavit, factus sacerdos suae victimae et victima sui sacerdotii.

Offero autem affectu ac nomine eiusdem totiusque ecclesiae suae sanctae et omnium mecum quocumque modo offerentium 1º in cultum latiae tibi soli debitum, ad tuam maximam laudem et cultum et gloriam; 2º in memoriam passionis Do-

mini nostri Iesu Christi et in obedientiam eiusdem mandati, quo praecepit, ut idem in suam commemorationem faciamus; 3º ad honorem et augmentum gloriae beatae Virginis Mariae, sancti Iosephi, omnium Angelorum et Sanctorum, eorum praesertim, quorum hodie festivitas occurrit; 4º in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, quae mihi indignissimo cunctisque hominibus et omni creaturae conferre dignatus es; 5º in propitiationem et satisfactionem pro peccatis totius mundi et pro meis specialiter, de quibus doleo, pertens humiliter veniam et remissionem; 6º ad impetrandum huius sacrificii fructus, cuius primarium ac speciale applico pro
 (ad intentionem . . .).

Memento.

Oro etiam, Domine Deus meus, pro vivis et defunctis, pro quibus orare soleo ac debo, et pro quibus oratio mea tibi grata est et acceptabilis. Dare digneris

ecclesiae tuae incrementum et pacem, infidelibus et haereticis gratiam conversionis, regibus et principibus christianis concordiam et in ecclesia tua tuenda constantiam. Da antistiti nostro N. Spiritus sancti abundantiam, ut populo sibi commisso verbo et exemplo praeluceat. Benedic patriae nostraræ, conserva caelum in salubritate, terram in fertilitate. Respice omnes aegrotos, afflitos, tentatos, agonizantes et in aliquo periculo vel necessitate constitutos, et da illis auxilium, remedium et consolationem, prout expedit ad gloriam tuam et illorum salutem. Miserere omnium consanguineorum meorum, affinium, amicorum, benefactorum et benefactricum atque illorum, qui precibus meis sese recommendaverunt. Memento etiam, Domine, animarum fidelium defunctorum; extingue earum ardorem optato rore misericordiae tuae et cito purgatas in conspectum tuum admitte. Pro me ipso tandem, inutili servo tuo et peccatore, clementiam

tuam humillime imploro, ut per virtutem
huius sacrificii universa peccata mea di-
mittas mihi, des gratiam in praesenti et
gloriam in futuro.

Ad B. V. Mariam et Sanctos.

Sancta Maria, Deipara Virgo, sancte
Iosephe, omnes sancti Angeli, sanct. N.,
cuius festum colimus et in cuius honorem
celebrare intendo, omnesque Sancti et
Sanctae Dei, pro me intercedere dignemini,
ut sacrificium meum fiat acceptabile in
conspicu Altissimi.

Ante Accessum.

O sanctissima Trinitas, unus Deus, unus
Dominus, Dominus meus et Deus meus,
ecce ego, sacerdos indignus, nunc venio
oblatus divinae maiestati tuae incruen-
tum sacrificium veri Dei-hominis Iesu Chri-
sti, vere et realiter in Hostia praesentis.
Praesta clementissime, ut tibi, supremo
rerum omnium Domino, fiat acceptabile,

mihius et omnibus, pro quibus illud
offeram, sit te miserante propitiabile. Per
Christum Dominum nostrum. Amen.

RECESSUS PRO DOMINICA.

Adspirationes ad SS. Redemptorem¹.

Anima Christi, sanctifica me;
Corpus Christi, salva me;
Sanguis Christi, inebria me;
Aqua lateris Christi, lava me;
Passio Christi, conforta me;
O bone Iesu, exaudi me;
Intra tua vulnera absconde me;
Ne permittas, me separari a te;
Ab hoste maligno defende me;
In hora mortis meae voca me,
Et iube, me venire ad te,

¹ Pius IX concessit indulgentiam 300 dierum
toties quoties pro recitatione sequentis invocationis;
si vero recitur a sacerdotibus post missam, indul-
gentiam 7 annorum; si quotidie recitur, indulgentiam
plenariam die arbitrario cuiusvis mensis (Decret. d. d
9. Ian. 1854).

Ut cum sanctis tuis laudem te
In saecula saeculorum. Amen.

Ad Deum Patrem.

Gratias tibi ago, Domine, sancte Pater,
omnipotens aeternae Deus, quod me in-
dignum famulum tuum nullis meis meritis,
sed sola dignatione misericordiae tuae
satiare dignatus sis pretioso corpore et san-
guine Filii tui, Domini nostri Iesu Christi.
Precor te, ut haec sancta communio non
sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio
salutaris ad veniam, sit vitiorum meorum
evacuatio, sit virtutum augmentatio, sit in
te, uno ac vero Deo, firma adhaesio atque
finis mei felix consummatio. Precor etiam
te, ut ad illud ineffabile convivium me
perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo
et Spiritu sancto sanctis tuis es lux vera,
satisfactus plenus et gaudium sempiternum,
per eundem Christum Dominum nostrum.
Amen.

Ad Deum Filium.

Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe,
Fili Dei, quod me, indignum sacer-
dotem, ad mensam dulcissimi convivii
tui admittere dignatus es. Sit mihi hoc
venerabile sacramentum aeterna salus
animae et corporis, sit mihi in vita sub-
sidium, in morte viaticum, in aeternitate
praemium.

O bone Iesu, tu dixisti: Qui man-
ducat meam carnem et bibit meum san-
guinem, in me manet, et ego in illo; obsecro,
ut maneam in te per fidem
et caritatem, et tu maneas in me, iam
per gratiam, postea per gloriam; et tu
solus sis semper spes mea, amor meus,
gaudium meum, refectio mea, auxilium
meum, possessio mea et thesaurus meus, ut
in te vivam, a te numquam separar. Amen.

Ad Deum Spiritum sanctum.

Gratias tibi ago, Spiritus sancte Deus,
quod sanctissimum corpus Domini nostri

Iesu Christi, virtute tua conceptum et ex Maria Virgine natum, suscipere meruerim. Veni cum eo et illabere menti meae; veni, dator munerum, da sacrum septenarium; veni, lumen cordium, largire mihi rectam fidem, spem firmam et perfectam caritatem. O sanctificator et glorificator animarum, da huius sacrificii fructum, da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

Oblatio.

Omnipotens sempiterne Deus, sacro-sanctum hoc sacrificium, quod ego, indignus sacerdos, obtuli divinae maiestati tuae, tibi sit acceptabile secundum intentionem a me factam. Concede propitius, ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Memento.

Memento, Domine, mei, servi tui; quidquid deliqui in huius missae celebra-

tione, misericorditer indulge meque tuae gratiae in praesenti et aeternae gloriae in futuro fac participem. Memento etiam et miserere totius ecclesiae tuae sanctae, populis a veritate fidei alienis lumen infunde, da regibus et principibus christianis pacem et concordiam; patriam hanc ab omni adversitate custodi, super eam dexteram tuae benedictionis extende omnesque in ea divinae maiestati tuae devote famulantes in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris; benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, succurre omnibus, qui se precibus meis commenda-
verunt; da vivis veniam et gratiam, fidelibus defunctis lucem et requiem sempi-
ternam. Per Christum Dominum nostrum.
Amen.

Benedictio.

Benedicat me † divina maiestas, ab omni malo defendat immensa Trinitas et ad vitam aeternam perducat sempiterna deitas. Patri, Filio, Spiritui sancto, Deo

uni et trino sit laus, honor et gloria in
saeculorum saecula. Amen.

ACCESSUS PRO FERIA SECUNDA,

Iesu Christo, Verbo incarnato, sacer-

Monitum ad sacerdotem.

*Quoniam sacerdotes descendens de caelo
in carne Verbum contrectant manibus, tri-
buunt populi in seque suscipiunt, et Ange-
lorum sive adstantium sive ministrantium
vice funguntur, potius angelicam, quam
humanam debent conversationem habere.
Accedat igitur sacerdos ad altaris tribunal
ut Christus, assistat ut Angelus, ministret
ut sanctus, populorum offerat vota ut pon-
tífex, interpellet pro pace ut mediator,
pro se autem exoret ut homo¹.*

PRECES.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut
incensum in conspectu tuo.

Ego volo celebrare missam etc. pag. 12.

¹ S. Laurentius Iustinianus, Serm. de corp. Christi.

Ad Deum Patrem.

Pater de caelis Deus, Pater Domini
nostri Iesu Christi, te adoro, te laudo, te
glorifico, tibi gratias ago, quoniam sic di-
lexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum
dares, dum eum ex Maria Virgine incar-
nari et propter nos homines hominem fieri
voluisti, ut credentes in eum vitam habeant
aeternam. Est ille agnus innocens et man-
suetus, qui pro nobis semel oblatus est in
cruce, est agnus eucharisticus, qui pro nobis
offertur quotidie in altari. Illum ego, sa-
cerdos indignus, in sanctissimo altaris sacri-
ficio tibi, aeterno Deo et supremo rerum
omnium Domino, in victimam offerre et
in sanctissimo sacramento in cibum sumere
intendo. Idque faciam in unione illius
affectus, quo tu Filium tuum dilectissimum
incarnari voluisti, isque carnem nostram
assumpsit seque tibi, Patri suo, immo-
lavit. Praesta igitur, clementissime Pater,
ut huius agni eucharistici carne cibatus et
sanguine potatus vitam habeam et abun-

dantius habeam nunc et in aeternum.
Amen.

Ad Deum Filium.

Domine Iesu Christe, Fili Patris unigenite, Verbum incarnatum, Deus-homo, qui, Deus de Deo cum esses, homo ex Maria Virgine nasci voluisti, venturus in mundum in utero virginali dignum tibi habitaculum praeparasti: venturus in tabernaculum animae meae dignare, etiam me dignum tibi habitaculum exornare atque in visceribus meis sub speciebus sacramentalibus habitare. O Iesu, Verbum incarnatum, exorna me gratiis tuis, habita in visceribus meis; o Iesu, Deus-homo, divinitate tua me indivina, humanitate tua me inhabita, ut tu maneas in me et ego in te, nunc et in aeternum. Amen.

Ad Deum Spiritum sanctum.

Spiritus sancte Deus, qui unigenito Patris aeterni Filio Mariam Virginem in matrem praeparasti illique purissimum

corpus ex eiusdem purissima carne formasti, quod ego in sanctissimo sacrificio sumere intendo, munda cor meum et septenis illud gratiarum tuarum donis exorna, ut dignum effici mereatur habitaculum eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui tecum et cum Patre vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

Applicatio.

Te igitur, o Deus-homo, Iesu Christe, sub panis et vini speciebus immolare volo in unione illius affectus, quo te Pater aeternus immolari voluit tuque te immolasti. Immolo autem et offero te Patri tuo et tibi et Spiritui sancto, uni Deo, in sacrificium latreuticum, propitiatorium et impetratorum, in memoriam sacratissimae incarnationis tuae, ad honorem Mariae Virginis, sancti Iosephi, omniumque Sanctorum tuorum, fructumque specialem applico pro . . . (ad intentionem . . .).

Memento.

Per eandem oblationem memento etiam, Domine Deus meus, omnium, pro quibus orare soleo et debo, vivorum et defunctorum, et pro quibus oratio mea tibi grata est et acceptabilis; dare digneris ecclesiae tuae incrementum et pacem, haereticis gratiam conversionis, infidelibus donum verae fidei, cuncto populo christiano pacem et unitatem, domui nostrae benedictionem, huic patriae aërem salubrem et fertilitatem, benefactoribus nostris bona sempiterna, aegrotis et afflictis auxilium et consolationem, captivis inter infideles liberationem, agonizantibus felicem mortem et defunctis requiem aeternam.

Miserere etiam, clementissime Deus, miserere mei, sacerdotis indigni, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam; dirige me in via tua et doce me facere voluntatem tuam; auge in me fidem, spem, caritatem et reliquas virtutes statui meo necessarias; da terrena despicere et

amare caelestia; posside me iugiter secundum beneplacitum tuum, ut te in omnibus et ubique inveniam, donec per felicem mortem ad te merear pervenire. Amen.

Ad B. V. Mariam et Sanctos.

Sancta Maria, Dei genitrix Virgo, mihi sacrificanti assistere et impetrare digneris, ut dilectissimum Filium tuum mundo corde et casto corpore recipiam, quem tu purissimis visceribus concipere et portare meruisti. Idem mihi, sancte Iosephe, mi sancte Angele custos, omnes sancti Angeli omnes Sancti et Sanctae Dei, impetrare dignemini. Amen.

Anima Christi, sanctifica me etc. pag. 19,

Ad SS. Trinitatem.

Gratias tibi ago, Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus; gratias tibi, Domine, Fili unigenite, Iesu Christe; gratias

tibi, Spiritus sancte Deus; gratias tibi, o sanctissima Trinitas, quod de altari sub figuris eucharisticis corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi una cum divinitate, vere sub iisdem latitante, suscipiendo gratiam habuerim.

Adspirationes ad Verbum incarnatum.

O Verbum incarnatum, Domine Iesu Christe, Agnus Dei, Filius Patris, qui venisti ad me, tu es panis vitae, vivifica me; tu es sapientia aeterna, doce me; tu es amor meus, inflamma me; tu es iustitia mea, sanctifica me; tu es gloria mea, glorifica me.

O Verbum incarnatum, dulcissime Deus-homo, Christe Iesu, quem in augustissimo tremendoque sacrificio immolavi, quem in sacratissimo sacramento sumpsi ac manducavi, tu es Filius Dei, Verbum Patris, secunda in deitate persona; postulo a te per hanc filiationem tuam divinam, ut, quia Pater aeternus tibi totum suum communici-

cavit esse divinum, tu mihi communicare velis dona gratiae et gloriae, quae filiis tuis adoptivis sunt communicabilia, quibus in consortium filiorum Dei transire merear.

O Verbum incarnatum, dulcissime Deus, Christe Iesu, qui es filius hominis, natus ex Maria Virgine, perfectus Deus, perfectus homo, postulo a te per humanitatem tuam, ut mihi ad humanitatem tuam tenerimum tribuas affectum, quo illam tenere diligam actionesque illius exprimere et meritorum tuorum particeps effici studeam ac valeam.

O Verbum incarnatum, dulcissime Deus, Christe Iesu, te ipsum, divinitatem et humanitatem tuam in sanctissimo sacramento dedisti mihi; in gratitudinem me totum tibi offero, corpus et animam, intellectum, voluntatem et sensus meos, omnes facultates et potentias meas, et quidquid possum et habeo.

O Verbum incarnatum, dulcissime Iesu, tu Dominus meus et Deus meus, posside

me, ut serviam tibi in sanctitate et iustitia omnibus diebus vitae meae.

O Verbum incarnatum, dulcissime Iesu, tu Filius Patris sine matre, Filius Matris sine patre, fac me tibi coheredem in domo Patris tui.

O Verbum incarnatum, dulcissime Iesu, habitans in nobis, fac me divinae tuae consortem naturae; o Iesu, o te amare, o mihi perire, o in te transire, transire in te per unionem adhaesivam, per caritatis vinculum, per voluntatis conformitatem, per omnium potentiarum mearum in te tendentiam! Sic totus ego tuus in te vivam, in te moriar; te fruar in vita solatio, in morte viatico, post mortem praemio. Amen.

Oblatio.

O sanctissima Trinitas, suscipe sacro-sanctum hoc sacrificium a me oblatum ad laudem et gloriam maiestatis tuae, pro salute animae meae ac proximi mei: primario

quidem ac speciatim iuxta applicationem a me factam; secundario pro incremento sanctae ecclesiae tuae, pro infidelium et haereticorum conversione, pro pace inter catholicos principes, item in subsidium et auxilium huius patriae, propinquorum meorum, benefactorum, benefacticum omniumque, pro quibus ad altare oravi et orare debui, in refrigerium quoque et liberationem animarum existentium in purgatorio, praecipue parentum, propinquorum, confratrum, benefactorum. . . . Quod fideliter petimus, clementissime Deus, concedere digneris, vivis gratiam, defunctis requiem sempiternam. Amen.

Ad Deiparam et Sanctos.

Alma Redemptoris Mater, quae genuisti tuum sanctum Genitorem, sancti Angeli, qui nativitatem Christi mundo annuntiastis, sancte Iosephe et Sancti omnes, qui Christum in carne vidistis et modo videtis in gloria: orate pro me, ut, quem sub spe-

ciebus sacramentalibus Dei gratia vidi, immo suscepisti, illum vobiscum aliquando in gloria videre et aeternaliter laudare merear. Amen.

Benedictio.

O Iesu, qui in mundum et hodie tam dignanter ad me venisti, non dimittam te, nisi benedixeris mihi, tu, qui aperis manum tuam et imples omne animal benedictione. Benedicat me Deus, Deus noster, benedicat me Deus, Pater; et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

ACCESSUS PRO FERIA TERTIA,

Domino nostro Iesu Christo eiusque sanctissimo nomini sacer.

Monitum ad sacerdotem.

O sacerdotes, si anima cuiuslibet iusti sedes est Dei, multo magis sedes et templum Dei vos esse debetis sanctum et immaculatum¹.

¹ S. Augustinus, In c. II Is.

PRECES.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Ego volo celebrare missam etc. pag. 12.

Ad Deum Patrem.

Deus Pater, qui unigenitum Filium tuum constitueris humani generis salvatorem et Iesum vocari iussisti, qui exaltasti illum et dedisti illi nomen, quod est super omnē nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, qui dedisti illi nomen, in quo petentes a te Patre accipiunt, in quo iustificati sumus, in quo nos salvari oportet: per hoc sanctum nomen, quod veneror, per Unigenitum tuum, quem adoro, me purifica, me sanctifica, me dignifica, ut sacrificium tibi, Altissimo et Deo et Patri, oblatus in conspectu tuo digne compaream, fiatque sacrificium illud maiestati tuae pro omnibus, pro quibus offeram, acceptabile in conspectu tuo. Amen.

Ad Deum Filium.

Deus Fili unigenite, cui Pater aeternus dedit nomen, quod est super omne nomen, nomen Iesus, nomen admirabile, nomen sanctum et laudabile, nomen salutis, nomen gloriae: per hoc sanctum nomen tuum te rogo, dulcissime Iesu, ut mihi peccatori sacrificium missae reverenter et devote, caste et sancte celebrare concedas. Quanta enim cordis contritione et devotione, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animae puritate istud divinum et caeleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi tu es sacrificium et sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus! Igitur, o Iesu, sis mihi Iesus; munda me, sanctifica me, salvifica me. Amen.

Ad Deum Spiritum sanctum.

Deus Spiritus sancte, qui a Patre Filioque ineffabiliter procedis, qui mysterium

incarnationis Filii Dei in virgine operatus es, cui Pater caelestis dedit nomen, quod est super omne nomen, nomen Iesus, nomen sanctum et gloriosum, nomen, quod magnificat Deum, quod laetificat Angelos, quod salvificat homines: hoc sanctum nomen veneror, invoco, adoro. Per hoc a te sanctificatum, a te exaltatum, o Spiritus sancte Deus, doce me, munda me, inflamma me, sana me, vivifica et sanctifica me, ut corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari digne sancteque offeram et sumam, utque ex sanctissimo nomine Iesu mihi et aliis, pro quibus sacrificare et orare propono, consequar salutem et benedictionem in corpore et anima, in terra et in caelo. Amen.

Ad B. V. Mariam et Sanctos.

O glorioissima caelorum regina, Mater Dei et Virgo Maria, quae in virginali utero tuo portasti illum ipsum, quem ego in sanctissimo sacrificio intra me sumere in-

tendo: ora pro me, ut qui fuit Dominus tecum, sit et ipse Dominus tecum, et qui fuit fructus ventris tui, sit et ipse fructus animae meae, et qui fecit tibi magna te intrando, faciat et mihi magna me seipso cibando.

Mi sancte Angele Custos omnesque sancti Angeli et Archangeli, orate pro me, ut digne manducem panem Angelorum atque ad Angelorum consortium pervenire merear in caelo.

Sancte Iosephe, sancti Patroni mei omnesque Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro me, ut digne manducem panem filiorum et caelestem vobiscum obtineam hereditatem in regno Dei et Christi. Amen.

Applicatio.

Ego itaque, o summe Deus, per gratiam tuam sacerdos, intendo conficere sacrificium missae, sicut Christus Dominus instituit et sancta ecclesia facit. Idque offero tibi primo tamquam latreuticum ad summam divinae et aeternae maiestatis tuae gloriam,

cultum et adorationem. Secundo offero tamquam eucharisticum in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis et gratis mihi, servo tuo, totique congregationi fidelium tuorum collatis et conferendis. Tertio offero tamquam propitiatorium et satisfactorium in expiationem et satisfactionem omnium peccatorum. En! Pater caelestis, sanguis Filii tui dilecti clamat ad te de terra, utique non in vindictam, sed veniam; parce igitur, Domine, parce populo tuo, quem Filius tuus redemit sanguine suo, parce mihi, servo tuo, quem sacerdotio fungi benigne voluisti. Denique offero tibi, aeterne Pater, hoc sacrificium Filii tui tamquam impetratorium, ut per eius sanguinem et nomen petentes impetreremus, quod nostris meritis non valemus, et quidem primario ac specialiter offero pro . . . (ad intentionem . . .).

Memento ex Oratione S. Ambrosii.

Profero etiam, Domine, si digneris propitius intueri, tribulationes plebium,

pericula populorum, captivorum gemitus, miseras orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, profectus iuvenum, vota virginum, lamenta viduarum, suspiria defunctorum. Respicere quoque digneris ad necessitates animae meae et corporis mei. Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, misericors et miserator Dominus. Amen.

Ad Iesum.

Venio nunc ad altare tuum, Domine Iesu Christe, Agnus Dei, Filius Patris. Tu es sapientia aeterna, doce me; tu es lux vera, illumina me; tu es fons vitae, munda me; tu es amor meus, inflamma me; tu es iustitia mea, sanctifica me. Tu es Iesus meus; o Iesu, sis mihi Iesus et salva me, atque per hoc sanctum nomen tuum et per intercessionem omnium Sanctorum tuorum sacrificium meum

sit acceptabile in conspectu Altissimi. Amen.

RECESSUS PRO FERIA TERTIA.

Anima Christi, sanctifica me etc. pag. 19.

Ad SS. Trinitatem.

Gratias tibi ago, Pater de caelis Deus, gratias tibi, Fili redemptor mundi Deus, gratias tibi, Spiritus sancte Deus, gratias tibi, sancta Trinitas, unus Deus, quod sacratissimum corpus et pretiosissimum sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari offerre et intra me sumere meruerim.

Oblatio.

O sanctissima Trinitas, unus Deus, unus Dominus, incruentum sacrificium corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quod ego indignus sacerdos divinae maiestati tuae obtuli, tibi supremo rerum omnium Domino sit ad laudem et gloriam, mihi et illis, pro quibus obtuli et pro quibus oravi, sit ad salutem in vitam

aeternam; sit quoque spiritibus fidelium defunctorum gaudium et refrigerium hoc magnum pietatis sacramentum, ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati exultent in laude et gloria tua. Amen.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS
Adoratio.

Amabilissime, gloriosissime Iesu, quem modo in sanctissimo sacrificio obtuli, quem in sanctissimo sacramento suscepisti, qui modo factus es mihi refectionis et gratia et pignus futurae gloriae, te prostratissimo corde et plenissima corporis animaeque subiectione adoro et veneror, exalto et amplector.

Gratiarum actio.

O suavissime Iesu, unde hoc mihi, quod in adeo vile substantiae meae tugurium declinare dignatus es? Ah! quantum benedicere, quantum superexaltare te debarem, mi Iesu, pro hac nimia, pro hac suavi et exundante in me bonitate tua!

Tibi, mi Iesu, atque Patri tuo et Spiritui sancto sit omnis gloria, omnis amor, omnis exaltatio ab omni caelesti, terrestri, inferno genu, itemque a me et ab omnibus amatoribus nominis tui nunc et in aeternum. Amen.

Unio cum Iesu.

Uni me tecum, o Iesu, indissolubili unionis vinculo, ut tu semper maneas in me, et ego in te; tu enim dixisti: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. In te solo, mi Iesu, ab hoc momento vivam. Ah! anima mea magis vivat in te, quem amat, quam in corpore, quod animat et informat. Nullum peccatum, quod dividat inter te et me, voluntarie et deliberate committam. O Iesu, ne elongeris a me.

Postulatio.

O benignissime Iesu, tu es redemptor meus et salvator meus, ne permittas me

damnari, quem pretioso sanguine tuo redemisti eumque ad altare bibere dignum habuisti. Tu es Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, tolle de me, quod mihi nocet et tibi displicet. Tu es iudex meus, donum fac remissionis ante diem rationis. Tu es defensor meus, defende me contra hostes visibles et invisibles corporis et animae. Tu es lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte et mittar in tenebras exteriores. Tu es Deus meus et omnia, da cordi meo te desiderare, desiderando quaerere, quaerendo invenire, inveniendo amare, amando possidere in aeternum. Amen.

Amor perennis.

Admitte me, amabilissime Iesu, ad seraphicum coetum sacratissimam tuam amantium humanitatem et in terris et in caelis, ut nihil me separare possit a caritate, quae est in te, Christo Iesu, Domino nostro.

Hoc peto per istam ipsam tuam humanitatem, quam immolavi, quam manducavi et potavi, cuius praesentia sacramentali nunc fruor; peto hoc etiam per sanctum nomen tuum Iesus. O Iesu, hoc tuum nomen purget me, illuminet me, inflammet me, salvet me, in gloriam aeternam inducat ibique coronet me, ut sim unus ex ignitissimis seraphicis amatoribus tuis neque ab eorum numero excludar umquam, sive in tempore sive in aeternitate. Amen.

Benedictio.

Custodiat me sempiterna Deitas, defendat me immensa Trinitas, benedicat me gloria maiestas, Pater † et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

ACCESSIONES PRO FERIA QUARTA,
toti ecclesiae triumphanti sacer.

Monitum ad sacerdotem.

Cogita, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quo non oportet esse

damnari, quem pretioso sanguine tuo redemisti eumque ad altare bibere dignum habuisti. Tu es Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, tolle de me, quod mihi nocet et tibi displicet. Tu es iudex meus, donum fac remissionis ante diem rationis. Tu es defensor meus, defende me contra hostes visibles et invisibles corporis et animae. Tu es lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte et mittar in tenebras exteriores. Tu es Deus meus et omnia, da cordi meo te desiderare, desiderando quaerere, quaerendo invenire, inveniendo amare, amando possidere in aeternum. Amen.

Amor perennis.

Admitte me, amabilissime Iesu, ad seraphicum coetum sacratissimam tuam amantium humanitatem et in terris et in caelis, ut nihil me separare possit a caritate, quae est in te, Christo Iesu, Domino nostro.

Hoc peto per istam ipsam tuam humanitatem, quam immolavi, quam manducavi et potavi, cuius praesentia sacramentali nunc fruor; peto hoc etiam per sanctum nomen tuum Iesus. O Iesu, hoc tuum nomen purget me, illuminet me, inflammet me, salvet me, in gloriam aeternam inducat ibique coronet me, ut sim unus ex ignitissimis seraphicis amatoribus tuis neque ab eorum numero excludar umquam, sive in tempore sive in aeternitate. Amen.

Benedictio.

Custodiat me sempiterna Deitas, defendat me immensa Trinitas, benedicat me gloria maiestas, Pater † et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

ACCESSIONES PRO FERIA QUARTA,
toti ecclesiae triumphanti sacer.

Monitum ad sacerdotem.

Cogita, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quo non oportet esse

puriorem tali fruentem sacrificio, quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem, os, quod igne spirituali repletur, linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita, quali sis insignitus honore, qualimensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, et facti sumus unum Christi corpus et una caro¹.

PRECES.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Ego volo celebrare missam etc. pag. 12.

Paraphrasis super „Ego volo celebrare“.

Ego, sacerdos Dei, ego, minister Christi, pontificis magni, indignus quidem, de meorum tamen, quae detestor, peccatorum remissione confidens,

¹ S. Chrysostomus, Homil. 60 ad pop. Antioch.

Volo iuxta divinam in ultima cena institutionem et mandatum Christi: Hoc facite in meam commemorationem, cum vera intentione, firma fide, perfecta caritate, debita reverentia, attentione et devotione

Celebrare missam, quae est verum et unicum novae legis sacrificium, incruentum sacrificium unigeniti Filii Dei, memoria passionis eius, oblatio munda, hostia sancta, propitatio pro vivis et defunctis,

Et confidere in persona Christi vera transubstantiatione panis in corpus Christi et vini in eius sanguinem

Corpus sanctissimum, natum ex Virgine, immolatum in cruce pro homine, quod panis vivus, qui de caelo descendit, panis Angelorum, refectio animarum sanctorum, viaticum in Domino morientium,

Et sanguinem pretiosissimum, qui pro multis effusus in remissionem peccatorum, qui calix salutis perpetuae

Domini nostri Iesu Christi, qui Deus verus de Deo vero, qui incarnatus de

Spiritu sancto ex Maria Virgine et homo factus, qui sacerdos et victima, qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis,

Iuxta ritum sanctae romanae ecclesiae, cuius caput est Christus, quae columna est et firmamentum veritatis, in qua vivere volo et mori exopto,

Ad laudem omnipotentis Dei, cui soli sacrificium debetur, et cui offero in recognitionem supremi dominii et infinitae excellentiae, ex quo, per quem et in quo sunt omnia, cui honor et gloria in saecula,

Totiusque curiae triumphantis, quae est caelestis urbs Ierusalem, ubi cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti stolis albis, laudantes, benedicentes et glorificantes Deum, qui intercedant pro me, ut digne operer ad altare,

Ad utilitatem meam spiritualem et corporalem, ad consequendum omnes sacrificii

huius fructus, mihi sacerdoti competentes, qui cedant ad salutem animae meae et corporis mei in vitam aeternam,

Totiusque curiae militantis, quae est Ierusalem terrestris, ecclesia militans in terra, quam, clementissime Pater, pacificare, custodire, adunare et regere digneris in toto orbe terrarum, ut portae inferi non praevaleant adversus eam. Offero praeterea

Pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie; et quidem principaliter ac primario fructum huius sanctissimi sacrificii applico ad intentionem . . . (pro . . .), secundario quoad fructum, qui etiam aliis obvenire potest, oro pro me meisque propinquis, confratribus, benefactoribus et illis, pro quibus orare soleo ac debo, ut liberentur a malis praeteritis, praesentibus et futuris, ut benedictione repleantur caeli atque post mortalis vitae cursum perveniant ad vitae immortalis beatitudinem sempiternam.

Memento etiam, Domine, fidelium defunctorum, praesertim propinquorum, confratrum, benefactorum et benefacticum omniumque, pro quibus orare debedo. Denique oro

Ac pro felici statu sanctae romanae ecclesiae; potentia Patris eam defendat, sapientia Filii eam illuminet, caritas Spiritus sancti eam sanctificet; Sancti omnes pro ea intercedant, ut destructis adversitatibus et erroribus universis divinae maiestati secura serviat libertate. Amen.

Gaudium cum pace etc. pag. 12.

Ad curiam triumphantem.

Deus sanctissime ac gloriosissime, ego pauper et indignus per omnium Sanctorum tuorum merita peto humillime, ut Sancta Sanctorum, altaris mysteria, sancte tractem sancteque recipiam.

Christe Iesu, Deus-homo, per omnes Santos tuos humillime peto, ut in altari digne te offeram hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam.

Sancta Maria, regina Sanctorum omnium, sancte Iosephe, omnes sancti Angeli et Archangeli, omnes Sancti et Sanctae Dei nostri, pro me intercedere dignemini, ut nunc et semper, quoties sacrosancta sacrificia atque sacramenta oblaturus et percepturus accedo, numquam indigne, semper quam dignissime tantis serviam mysteriis in gloriam Domini nostri Iesu Christi eiusdemque Patris ac Spiritus sancti in trinitate et unitate Dei super omnia benedicti. Amen.

RECESSUS PRO FERIA QUARTA.

Ad SS. Trinitatem.

Sanctissima, supereminentissima Trinitas, Deus meus, Dominus meus, adoro te atque magnifico in me cum humanitate Domini mei Iesu Christi, quem immolavi, quem suscepit modo speciali praesentem et inhabitantem; tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant omnes Angelorum ordines omnesque Sanctorum chori,

cum quibus demississima voce proclamo:
Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus
SabaOTH; benedictio et claritas et sapientia
et gratiarum actio, honor, virtus et fortis-
tudo Deo nostro in saecula saeculorum.
Amen.

Paraphrasis super „Anima Christi“.

Anima Christi, sanctifica me. Anima
sanctissima, in qua inhabitat omnis pleni-
tudo divinitatis, sanctifica me sanctitate
gratiae.

Corpus Christi, salva me. Corpus
sanctissimum, natum ex Virgine, in cruce
immolatum pro homine, quod vere es
cibus et ego indignus manducavi, salva
me ab omnibus malis, salva animam meam
a descendantibus in lacum; sic salva me,
et salvus ero.

Sanguis Christi, inebria me. Sanguis
pretiosissime, qui in preium mundi effusus,
me peccatorem ablue, dona superna influe;
qui calix inebrians, inebria me laetitia

spirituali et fervore dilectionis. Sic, o Iesu,
fons vitae, inebriabor ab ubertate domus
tuae caelstis, et de torrente voluptatis
tuae gloriosae potabis me.

Aqua lateris Christi, lava me. Aqua
lateris, quae in cruce exivit cum sanguine,
lava me ab iniuitate mea, lava me et
mundabor et super nivem dealbabor. Sic,
o Iesu, qui lavisti nos a peccatis nostris
in sanguine tuo, habebo partem tecum,
erisque mihi fons aquae salientis in vitam
aeternam.

Passio Christi, conforta me. Conforta
me in fide, spe et caritate; conforta me
contra tentationes mundi, carnis et diaboli,
ut vitor ab hostibus evadam.

O bone Iesu, exaudi me. O Iesu, cuius
bonitatis infinitus est thesaurus, tu dixisti:
Petite et accipietis; cum Patre et Spiritu
sancto exaudi me iuxta applicationem
sacrificii a me factam. Exaudi me pro me;
quidquid in huius missae celebratione
deliqui, misericorditer indulge et da, ut

vivam de te, vadam post te, perveniam ad te et requiescam in te redemptore meo et salvatore meo. Exaudi me pro omnibus, pro quibus ad aram tuam oravi; da vivis peccatorum veniam, defunctis requiem sempiternam.

Intra vulnera tua absconde me. O Iesu pro me crucifice, ad sacra vulnera tua tamquam ad asylum confugio peccator. In illis absconde me, donec pertranseat indignatio; illa ostende Patri tuo et per te Patri meo, ut propter te parcat filio ad optimo, qui propter hunc tibi non pepercit filio proprio, sed pro nobis omnibus tradidit in mortem.

Ne permittas, me separari a te in hac vita per peccatum, in altera per damnationem, sed secundum promissionem tuam da, o bone Iesu, ut, qui manducavi carnem tuam et bibi sanguinem tuum, maneam in te et tu in me, ego in te per fidem et caritatem, tu in me iam per gratiam, postea per gloriam.

Ab hostile maligno defende me. Hostis ille pessimus est diabolus, qui tamquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret. Sed, o bone Iesu, tu defensor meus, defende me; defende me in vita, ne quando pertrahat in peccatum et dicat: Praevalui adversus eum; defende me in morte, ne rapiat ut leo animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui salvum faciat.

In hora mortis meae voca me. In hora, in qua ibo in domum aeternitatis, quando insidiatur inimicus fortius, quando angustiae erunt undique, ne derelinquas me, o bone Iesu, usqueaque, sed moriatur anima mea morte iustorum; ne proicias me a facie tua, sed voca cum operariis.

Et iube, me venire ad te. Iube animam meam a sanctis Angelis suscipi et ad patriam paradisi perduci.

Ut cum Sanctis tuis laudem te cantando sanctissimae Triadi cum sanctis Angelis: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, et cum omnibus electis: Se-

007437

denti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas.

In saecula saeculorum. Amen. Fiat, fiat.

Benedictio.

Benedicat me Pater † et Filius et Spiritus sanctus et ab omni malo defendat et ad vitam perducat aeternam. Amen.

ACCESSUS PRO FERIA QUINTA,
venerabili sacramento nempe Dei Filii, Iesu Christo,
in cibum et potum nobis dato sacer.

Monitum ad sacerdotem.

Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini¹.

PRECES.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Ego volo celebrare missam etc. pag. 12.

¹ 1 Cor. 11, 28 sq.

Ad Deum Patrem.

Pater de caelis Deus, qui sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, ego, per gratiam tuam sacerdos, accedo ad sacramentum eiusdem dilectissimi Filii tui, accedo ad altare et mensam illius, qui se in sacrificium tum in hora ultimae cenae, tum super aram crucis tibi, Patri suo aeterno, obtulit. Da mihi, queso, panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium tanta suscipere reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi dominici corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Ad Deum Filium.

Fili redemptor mundi Deus, gratias ago,
 quod tanta caritate nos misere perditos
 redemeris pretio sanguinis tui, et in huius
 amoris tui memoriam nec non in pignus
 futurae gloriae tam admirabili sapientia,
 potentia et bonitate dederis nobis in cibum
 et potum ipsum corpus et sanguinem
 tuum, meque ad haec divina mysteria in
 numerum tuorum sacerdotum tua ineffabili
 clementia vocare dignatus sis. O bonitas,
 o caritas, o misericordia, quid tibi pro
 tantis, Domine Iesu, retribuam? Cibum et
 calicem salutaris accipiam et nomen tuum
 invocabo; immolabo te, mi Iesu, in altari
 tuo et sumam te ex altari tuo. Hoc est,
 quod iussisti fieri a me; ut non vivam, nisi
 immolem te, non vivam, nisi manducem te.
 Quoniam ergo immolari et manducari vis
 a nobis, o cibus potusque noster, mi dulcis
 Iesu, fiat mihi secundum verbum tuum.
 Tu dixisti, o Iesu: Qui manducat meam
 carnem et bibit meum sanguinem, habet

vitam aeternam; si ita, veni, Domine Iesu,
 ut vitam habeam et abundantius habeam
 nunc et in aeternum. Tu dixisti: Qui
 manducat meam carnem et bibit meum
 sanguinem, in me manet, et ego in illo;
 si ita, veni, Domine Iesu, ut tecum per
 omnia unum efficiar, ut vivam in te, de te,
 propter te. Dum autem tam dignanter
 venis ad me, rogo, o bone Iesu, ut puro
 corde te nunc et semper recipiam teque
 digne offeram in sacrificium laudis aeterno
 Patri tuo et tibi et Spiritui sancto, uni-trino
 Deo, cui soli honor, laus et gloria in saecu-
 lorum saecula. Amen.

Ad Deum Spiritum sanctum.

Spiritus sancte Deus, illuminator et
 vivificator sanctae ecclesiae, te humillime
 invoco, ad te clamo, ad te suspiro, digneris
 esse praesens in mea mente, in meo corde,
 in meo ore et opere, ut per tuam sanctam
 virtutem et divinam operationem fiat cor
 meum mundum et tuae gratiae habitacu-

lum, omnes sensus mei fiant mortificati et purificati, ut ministerium servitutis meae in conspectu tuo fiat acceptabile et mihi salutare, tua virtute operante, tua gratia confirmante, tua misericordia tribuente. Tu facis dignos de indignis, de peccatoribus iustos, de immundis mundos; munda ergo me et sanctifica me, ut ad sanctum altare mundo corde possim accedere et sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, virtute tua conceptum et ex Maria Virgine natum, tam sancte, tam devote, tam digne et reverenter confidere et sumere valeam, ut exaudiri merear. Amen.

Applicatio.

Suscipe, sanctissima Trinitas, unus Deus, hoc sacrosanctum sacrificium corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quod ego indignus servus tuus unitum sanctissimo sacrificio ab eodem Domino nostro in ultima cena et ara crucis oblato offero divinae maiestati tuae omni possibili pie-

tatis affectu, ex puro amore tuae infinitae bonitatis secundum sanctissimam eiusdem Domini nostri et sanctae matris ecclesiae intentionem, et quidem: 1º ad maximam aeternamque divinae maiestatis tuae gloriam, amorem, beneplacitum, in protestationem supremae excellentiae tuae et dominii nostraeque subiectionis atque dependentiae a te; 2º in memoriam ac venerationem passionis mortisque Domini nostri Iesu Christi; 3º in honorem augmentumque gloriae beatissimae Virginis Mariae, sancti Josephi, sanct. N. . . totiusque curiae triumphantis; 4º in gratiarum actionem infinitae tuae sapientiae, quae hoc admirabile sacrificium invenit, tuae bonitati, quae instituit, et tuae omnipotentiae, quae peregit et adhuc in dies peragit; item in gratiarum actionem pro universis beneficiis, mihi indigno peccatori cunctisque hominibus et omni creaturae collatis atque conferendis; 5º in propitiationem et satisfactionem pro peccatis totius mundi, pro meis specialiter,

quae dolens detestor; 6^o demum quoad fructum speciale et primarium offero hoc sanctissimum sacrificium pro . . . (ad intentionem . . .).

Memento.

Memento, Domine, mei, servi tui, ut in consortium filiorum Dei transire merear; ecclesiae tuae sanctae, ut portae inferi non praevaleant adversus eam; infidelium et haereticorum, ut convertantur; populi christiani, ut hostes dextera potentiae tuae conterantur; propinquorum meorum, item benefactorum et benefacticum omniumque, pro quibus orare debeo ac soleo, ut in vita praesenti gratiae tuae auxilium et in futura aeternae beatitudinis praemium obtineant. Memento etiam defunctorum parentum, propinquorum, benefactorum, benefacticum omniumque, pro quibus oratio mea tibi Deo meo grata est et acceptabilis. Requiescant in pace. Amen.

Ad B. V. Mariam et Santos.

Sancta Maria, Dei genetrix Virgo, sancte Iosephe, omnes sancti Angeli et Archangeli, sanct. N., cuius festum colimus, omnesque Sancti et Sanctae Dei, pro me intercedere dignemini, ut sacrosancta altaris mysteria casto corpore et mundo corde peragam. Amen.

Ad Iesum.

Ecce, nunc venio ad mensam tuam, o bone Iesu; veni, panis de caelo vere, et refice me; veni, hostia sancta, et sanctifica me; veni, pignus futurae gloriae, et salva me; veni, Domine Iesu, ecce venio.

RECESSUS PRO FERIA QUINTA.

Anima Christi, sanctifica me etc. pag. 19.

Gratiarum actio.

Gratias ago tibi, sancte Pater, aeterne Deus, quod me indignum famulum tuum nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus sis pre-

tioso corpore et sanguine dilectissimi Filii tui, Domini nostri Iesu Christi. Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, Fili Dei, quod me indignum sacerdotem ad mensam dulcissimi convivii tui admittere dignatus sis. **Gratias tibi ago,** Spiritus sancte Deus, quod sanctissimum corpus Domini nostri Iesu Christi, virtute tua conceptum et ex Maria Virgine natum, suscipere meruerim.

Oblatio.

O beatissima Trinitas, unus Deus, sacro-sanctum hoc, quod obtuli, sacrificium tibi sit ad laudem et gloriam, mihi et vivis et defunctis iuxta applicationem a me factam proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

EXERCITIUM VARIARUM VIRTUTUM:**Fidei.**

Credo, dulcissime Iesu, Fili Dei et Virginis, te in sanctissimo altaris sacrificio esse cum divinitate, anima, corpore, san-

guine, meritis et gratiis. Credo, quia tu dixisti, qui es veritas. Tu es, Domine Iesu, Deus meus, Dominus meus, redemptor meus, quem sub panis et vini velamento obtuli et suscepi; me pariter offero, tu suscipe me, serva me, salva me.

Salutationis.

Salve, nobilissimum corpus, sanctissima anima, pretiosissime sanguis in anima mea; salve, o Iesu, Fili Dei et Virginis; hodie animae meae salus a te inhabitante fiat; salve, redemptor meus, salvator meus, redime me, salva me.

Adorationis.

Agnosco te, o Iesu Christe, cum divinitate et tota humanitate in pectoris mei sacrario ibique te tota cordis mei prostratione adoro et glorifico. O admirabile mysterium, stupendum sacrificium, o tremendum sacramentum, omnes Angeli, omnes Sancti, omnes creaturae tecum adorent, benedicant et glorifcent.

Spei.

Spera in Deum, anima mea, quoniam ecce suscepisti et manducasti illum, qui, cum dederit seipsum, dabit etiam sua tibi, dabit dona naturae, gratiae, gloriae. Dabit ex bonitate sua, quia Deus est; dabit ex meritis suis, quia homo, redemptor tuus est. Spero in virtute et meritis sanctissimi corporis sanguinisque tui, o bone Iesu, non confundar in aeternum.

Caritatis.

O mi Iesu, Deus meus, pars sola et una cordis mei, ignem tui amoris accende in visceribus meis. Amo te, suavissime amor, mi Iesu; amo te, qui sic amasti me, ut in cibum dares te.

Postulationis.

O Pater aeternus, per amorem corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, o Verbum incarnatum, per amorem corporis et sanguinis tui assumpti, o sancte Spiritus, per

amorem corporis et sanguinis Iesu Christi abs te in visceribus purissimae Virginis efformati, o sanctissima Trinitas, per amorem corporis et sanguinis Iesu Christi tibi in altari oblati: da mihi et toti mundo, praecipue consanguineis, affinibus, confratribus, benefactoribus, familiaribus meis amorem tuum perfectum; patriam istam ab omni adversitate custodi; super domum nostram dexteram tuae benedictionis extende; benefactoribus nostris sempiterna bona retribue; succurre omnibus, qui se precibus meis recommendaverunt. Da tui cognitionem et dilectionem infidelibus, indulge veniam peccatoribus, lucem aeternam ostende animabus purgatori. Da successum et benedictionem officiis et propositis meis, subveni mihi in omnibus necessitatibus et difficultatibus, dirige me in omnibus operibus, da perseverantiam in mandatis et beneplacitis tuis, ut tibi, Deo meo, perfecte serviam placeamque in regione vivorum, quod abs te nullies et

aeternaliter per Iesu Christi corpus et sanguinem postulo.

Benedictionis.

O benignissime Iesu, qui tam dignanter venisti ad me, non dimittam te, nisi cum Patre et Spiritu sancto benedixeris mihi. Benedicat me Deus, Deus noster, benedicat me Deus, Pater † et Filius et Spiritus sanctus, et ab omni malo defendat et ad vitam perducat aeternam; et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

ACCESSUS PRO FERIA SEXTA,

Iesu Christo patienti et morienti sacer.

Monitum ad sacerdotem.

*Ecce, sacerdos factus es et ad celebrandum consecratus es; vide nunc, ut fideliter et devote in suo tempore Deo sacrificium offeras et te ipsum irreprehensibilem exhibeas.*¹

¹ Imitatio Christi IV, 5.

PRECES.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Ego volo celebrare missam etc. pag. 12.

Oratio ad Iesum.

Domine Iesu, qui carnem et sanguinem tuum in cibum potumque mihi praeparare dignatus es in eiusque sumptione passionis et mortis tuae memoriam recoli voluisti, da gratiam, ut huic sanctissimae voluntati tuae satisfacere uberesque huius sacrificii fructus mihi et aliis impetrare valeam, qui vivis et regnas in saccula saeculorum. Amen.

Ad Deum Patrem.

Pater caelestis, ego, ordinatione tua sacerdos, memor venerandae passionis Filii tui unigeniti et recolens mortem illius, offero tibi hostiam, quam ipse olim in ultima cena et in ara crucis tibi obtulit pro mea et totius mundi salute, factus tibi

obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ad altare tuae maiestatis transmittio oblationem vivam, quam tu in misericordia multa misisti ad altare crucis immolandam pro nobis. Respice virgineam illam carnem verberibus crudeliter flagellatam, colaphis caesam, spinis coronatam, cruentatam, clavis confixam et lancea vulneratam; hanc respiciens parce, Domine, parce populo, quem Filius tuus redemit sanguine suo. Primario respicere digneris ad vota illius, ad cuius intentionem aeternae maiestati tuae specialiter offero sanctissimum hoc sacrificium, et dare digneris desideratum illius effectum. Miserere etiam, Domine, miserere totius populi tui, praeципue huius patriae et domus nostrae, propinquorum meorum et benefactorum nostrorum, ut omnes sibi auxilium gratiae tuae, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a peccatis et poenis advenire sentiant; et fidelium animae requiescant in pace. Amen.

Ad Deum Filium.

O Fili aeterni Patris, redemptor mundi, summe sacerdos, Iesu Christe, qui te obstatisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus, et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum et sanguinem tuum ad bibendum in memoriam tuorum mirabilium, dicens: Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis; ego sacerdos tuus accedere volo ad sacrificium celebrandum, memor sum passionis et mortis tuae, memor sum, quia pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidisti, a Iudeis reprobari, a Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspuki, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones de-

putari, felle et aceto potari et lancea vulnerari. O mi dulcis Iesu, haec passio tua, haec mors tua est opus nostrae salutis, est sacrificium tuum vespertinum, quo te Patri aeterno victimam immolasti super aram crucis; huius memor sacrificii cruenti offeram panem et vinum et in consecratione corpus tuum et sanguinem in repraesentationem passionis et mortis tuae. Sed benignissime Iesu, per omnes cruciatus tuos, per accepta pro me vulnera, per copiosissime profusum pro me sanguinem, per omnia vitae et mortis tuae merita, praesta veniam, quam non merui, gratiam, quam perdidi, ut venia accepta et gratia recepta digne te offeram in sacrificium crucis. Amen.

Ad Deum Spiritum sanctum.

Spiritus sancte Deus, ego sacerdos indignus, ego memor passionis Domini nostri Iesu Christi, qui pro me et omni humano genere se victimam obtulit in

patibulo crucis sanguinemque suum fudit in remissionem peccatorum, accedo ad altare, sacrificium incruentum, quod idem Dominus noster Jesus Christus in ultima cena instituit, in commemorationem sacrificii cruenti, quo se obtulit in cruce, et tibi et Patri et Filio, Deo uni et trino, vivo et vero, oblaturus. Veni, omnipotens Paraclete Spiritus; veni, o divini amor numinis, et inflamma me; veni, mundator scelerum, et munda me; veni, curator vulnerum, et sana me; veni, dulcis hospes animae, et habita in me; veni, sanctissime Spiritus, apta me tibi et Patri ac pariter Filio in gratum domicilium, ut sanctissimum Eucharistiae sacramentum digne suscipiam, qui cum Patre et Filio unus Deus vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. ®

Applicatio.

Suscipe igitur, sanctissima Trinitas, unus Deus, sacrosanctum hoc sacrificium corporis et sanguinis Domini nostri Iesu

Christi, quod ego indignus sacerdos tuus unitum sanctissimo sacrificio ab eodem Domino nostro in ultima cena et in ara crucis oblato offero divinae maiestati tuae. Suscipe, clementissime Deus, primario ac specialiter pro . . . (ad intentionem . . .).

Memento.

Memento, Domine Deus meus, vivorum et mortuorum, eorum praeceps, pro quibus orare soleo, debo, intendo, qui pro me orant, pro quibus a me orari vis. Omnibus istis sacrificii huius valorem iuxta beneficium voluntatis tuae et debitum voluntatis meae dispensa. Da ecclesiae vivorum gratiam et auxilium, animabus purgatoriis solatium et refrigerium, mihi omne meritum et fructum, cuius ex hoc sacrificio sum capax, et in sanctitate finali perseverantiam. Tibi gloria et gratiarum actio et plenissima subiectio in saecula. Amen.

Ad B. V. Mariam et Sanctos.

O virgo dolorosissima, regina martyrum, quae Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, sancte Iosephe omnesque Sancti et Sanctae in caelo, praesertim qui apud crucem redemptoris mei stetistis, pro me intercedere dignemini, ut sacrificium hoc in cruentum, quod peragam in commemorationem illius cruenti in cruce, ad consequendum copiosos utriusque fructus fiat acceptabile in conspectu Altissimi. Amen.

RECESSUS PRO FERIA SEXTA.

Anima Christi, sanctifica me etc. pag. 19.

Salutatio.

Salve intra me, salutaris victimæ, pro me et humano genere olim in patibulo crucis et hodie in altari oblata; salve, nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei profluens et peccata totius mundi abluens. Corpus tuum et sanguis tuus, Domine Iesu Christe, custodiat

corpus meum et animam meam in vitam aeternam. Amen.

Ad Deum Patrem.

Quid tibi, Pater misericordiarum, re-pendam, qui mundum sic dilexisti, ut Filium tuum unigenitum dares non modo, ut mortem pro salute nostra subiret, verum etiam, ut in cibum animarum nostrarum daretur essetque nobiscum usque ad consummationem saeculi? Ecce dilectissimum Filium, quem, licet indignus, tuo beneficio suscepisti, in gratiarum actionem tibi offero. Ecce hostia sancta, beneplacens et perfecta in odorem suavitatis oblata; ecce agnus sine macula, qui coram tondentibus se obmutuit, qui alapis caesus, sputis illitus, opprobriis affectus, os suum non aperuit. Aspice, pie Pater, unicum Filium, pro me tam impio passum, et dum dilecti Filii cruenta patent vulnera, mea remitte placatus scelera. Oro te, Domine, per hunc redemptorem meum, per crucem et

passionem eius, fac me currere viam mandatorum tuorum, ut in numerum Electorum tuorum admitti teque in gloria tua cum eodem Filio et Spiritu sancto in aeternum intueri et laudare merear. Amen.

Ad Deum Filium.

Quid tibi, Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, rependam, qui non tantum carnem meam passibilem assumere et pro me mori, verum etiam in eadem animata carne tua ad me venire dignatus es, ut, carne tua carni meae et anima tua animae meae unita, unum quodammodo tecum fierem, tuaeque humanitatis factus consors fierem et consors divinitatis? O Iesu, redemptor meus, tuus sum ego, accipe me; nam tuo sanguine, pretio sane magno, emisti® me. O Iesu, tu es Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, qui es vivus simul et occisus, qui dignus es, accipere virtutem et honorem et divinitatem, tibi totum me dono, te adoro, te exalto, tibi gratias,

tibi honorem, tibi amorem defero et consigno. O Iesu, amor pro me crucifice, rogo per cruciatus illos tremendos, quos sustinuisti pro me, maxime in illa hora, quando sacratissima anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, ut miserearis peccataricis animae meae in eius egressu eamque paradisi ianuam gaudenter introire concedas, qui vivis et regnas cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

Ad Deum Spiritum sanctum.

Et quid tibi rependam, Spiritus sancte Deus, qui corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi in sacrificium et edulium mihi praeparasti? Munus oblatum suscipe, Domine, ad laudem et gloriam tuam meaque tibi et Patri ac pariter Filio consecra in domicilium. O dulcis hospes animae meae, per te et tecum Pater et Filius apud me faciant mansionem. O virtus Altissimi, tua sancta virtute dignanter operare, ut quod passionis Domini nostri

Iesu Christi mysterio gerimus, piis affectibus consequamur et per temporalem eiusdem mortem, quam veneranda testantur mysteria, vitam te nobis dedita perpetuam confidamus per Iesum Christum salvatorem, qui cum Patre in tua unitate vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Oblatio.

Sanctissima Trinitas, Dominus meus et Deus meus, suscipe hodie per manus servi tui hoc sacrosanctum sacrificium, verum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi in commemorationem passionis et mortis illius. Suscipe iuxta applicationem a me factam. Amen.

Memento.

Memento, Domine, mei omniumque^R, pro quibus oravi et orare debui; pacem tuam nostris concede temporibus, et ab ecclesia tua cunctam repelle nequitiam; benefactoribus nostris sempiterna bona retribue et omnibus fidelibus defunctis re-

quiem aeternam concede, per Christum
Dominum nostrum. Amen.

Commendatio.

O Iesu, amor pro me crucifice, ego
me tibi commendabo, quemadmodum tu
moriens in cruce in manus Patris te com-
mendasti. Oro: Serva me, sanctifica me
et benedic mihi, sicut famulae tuae sanctae
Hedwigi de cruce manu dextera bene-
dixisti, in nomine Patris + et Filii et Spi-
ritus sancti. Amen.

ACCESSUS PRO SABBATO,

Beatae Mariae Virginis sacer.

Monitum ad sacerdotem.

*Sacerdotes sancti erunt Deo suo, et non
polluent nomen eius; incensum enim Do-
mini et panes Dei sui offerunt, et ideo
sancti erunt¹.*

¹ Lev. 21, 6.

PRECES.

Ad B. M. Virginem.

Sancta Maria, Dei genitrix Virgo, mater
summi sacerdotis, pro me indigno sacer-
dote, qui missam celebrare intendo, inter-
cedere digneris.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut
incensum in conspectu tuo.

Ego volo celebrare missam etc. pag. 12.

Ex Oratione S. Ambrosii.

Summe sacerdos et vere pontifex, Iesu
Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam
puram et immaculatam in ara crucis pro
nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti
nobis carnem tuam ad manducandum et
sanguinem tuum ad bibendum, rogo per
eundem sanguinem tuum, magnum salutis
nostrae pretium, rogo per hanc miram et
ineffabilem caritatem tuam, qua nos miseros
et indignos sic amare dignatus es, ut la-
vares nos a peccatis nostris in sanguine
tuo: doce me servum tuum indignum, quem

inter cetera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae, doce me, queso, per Spiritum sanctum tuum tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Propter magnam clementiam tuam concede mihi missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut haec caelestia sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; ego sum panis vivus, qui de caelo descendit; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Igitur, panis sancte, panis vive, panis mundus, qui descendisti de caelis et das vitam mundi, veni in cor meum, intra in animam meam,

sanctifica me, vivifica me et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Esto continua salus animae meae et corporis mei; repelle a me insidiantes mihi hostes, ut recto tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in mysteriis, sed facie ad faciem te videbimus, ubi me de te satiabis satietate mirifica, ita, ut nec esuriam, nec sitiam in aeternum, qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Applicatio.

Ego itaque, omnipotens sempiterne Deus, famulus tuus et sacerdos indignus introibo ad altare tuum et immolabo sacrificium corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi eadem intentione, eadem mente, sicut idem Dominus noster in ultima cena instituit et in cruce consummavit, factus sacerdos suae victimae et victima sui sacerdotii. Idque offero 1º in adorationem divinae maiestatis tuae, Dei unius et trini;

item in cultum hyperduliae Virginis matris, quae nobis Dominum genuit; in cultum quoque duliae sancti Iosephi et omnium Sanctorum, praesertim . . .; 2º in gratiarum actionem pro omnibus gratiis, quae mihi aliisque hominibus per intercessionem beatissimae Virginis Mariae, Dei geneticis, umquam datae et quae dandae sunt; 3º in satisfactionem pro omnibus peccatis, quae a me aliisque hominibus et animabus purgatorii sunt commissa; 4º ad impetrandum domui nostrae et illis, pro quibus celebrare et orare intendo, auxilium in temporalibus et incrementum in spiritualibus; 5º demum quoad fructum specialem et primarium offero sanctissimum hoc sacrificium pro . . . (ad intentionem . . .). O clementissime Deus, dare digneris desideratum effectum.

Oro etiam, Domine Deus meus, pro vivis et defunctis, pro quibus orare solo et debo, et pro quibus oratio mea tibi grata est et acceptabilis; omnibus praestare digneris auxilium gratiae tuae, prout

expedit ad gloriam tuam et illorum salutem. Amen.

Ad SS. Trinitatem et Sanctos.

Pater de caelis Deus, Pater potentissime, ut digne celebrem sacrificium missae, oro per amorem dilecti Filii tui et Spiritus sancti, significa me. Fili redemptor mundi Deus, Fili sapientissime, ut digne celebrem sacrificium missae, oro per amorem Patris tui et Spiritus sancti, illumina me. Spiritus sancte Deus, Spiritus purissime, ut digne celebrem sacrificium missae, oro per amorem Patris et Filii, purifica me.

Mater Christi, sancta Maria, mater divinae gratiae, mater purissima, ut digne celebrem sacrificium missae, oro per amorem dilectissimi Filii tui, Dei-hominis, impetra mihi divinam gratiam animaeque et corporis puritatem. Sancte Iosephe, omnes Sancti et Sanctae Dei, praesertim sancti Patroni mei et quorum hodie celebratur

memoria, ut digne celebrem sacrificium missae, intercedite pro me. Amen.

Actus latriæ.

Sanctissima Trinitas, una suprema et infinita maiestas, ad sanctum altare tuum nunc acedo, de gratia tua iustificante confisus. Te amo, te adoro, tibi sacrifico, tibi laus, honor et gloria ab omni creatura in saecula saeculorum. Amen.

RECESSUS PRO SABBATO.

Anima Christi, sanctifica me etc. pag. 19.

Gratiarum actio.

Gratias ago tibi, Domine, sancte Pater, omnipotens sempiterne Deus; gratias tibi, Domine Fili unigenite, Iesu Christe; gratias tibi, Domine Spiritus sancte, unus cum Patre et Filio Deus; gratias tibi, o beata Trinitas, quod sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi offerre et suscipere meruerim.

Oblatio.

Sanctissime Pater, ecce ego indignus famulus tuus, confidens de tua ineffabili pietate, suscepit dilectissimum Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum eumque in pectore meo adhuc contineo. Illum ergo dilectissimum Filium tuum in modum iusti Simeonis in ulnas meas suscipiens offero tibi tali affectu et intentione, quali semetipsum ad laudem tuam obtulit, iacens in praesepio et pendens in cruce. Respic, pie Pater, ad hanc oblationem, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo, vivo et vero, ad aeternam laudem et gloriam infinitumque beneplacitum tuum.

Offero tibi illum pro me et pro omnibus, pro quibus teneor et soleo orare, et quidem quoad fructum sacrificii specialem offero iuxta applicationem a me factam. Offero tibi eundem in sacrificium laudis et gratiarum actionis propter immensam gloriam tuam et propter omnia

dona et beneficia mihi et omnibus fidelibus praestita et praestanda. Offero tibi illum pro remissione peccatorum meorum et satisfactione poenarum, pro quibus ex solvendis, cum longe sim impar, ideo tibi, Pater dignissime, exhibeo satisfactionem dilectissimi Filii tui, qua universa mundi peccata in cruce expiavit. Offero tibi illum ad impetrandam gratiam tuam, quae me a malis et peccatis prae servet, in omni corporis et animae necessitate assistat et per felicem obitum ad gaudia perducat aeterna. Demum offero tibi illum pro animabus in purgatorio, rogans, ut per huius salutaris hostiae infinitum valorem peccata earum condones et a poenis clementer absolvias. Amen.


Ad Iesum et Virginem matrem.

O Iesu dulcissime, tu es fructus ventris virginalis, quem modo in altari obtuli, quem in sacro convivio manducavi; te amo, te adoro. Tu, o Iesu clementissime,

per Virginem matrem tuam huius sacrificii a me oblati desideratum tribue effectum. Memento etiam mei, servi tui inutilis et indigni, fac, ut sis mihi, quod vis esse mihi, ut sim tibi, quod vis me esse tibi, et quod ut essem mihi et ego essem tibi te fecisti sacrificium, convivium, cibum, potum mihi. Miserere quoque et gratiam praesta omnibus, pro quibus oravi et pro quibus orare debo.

Salve, sancta parens, Virgo Maria, ecce dilectissimum Filium tuum, quem de Spiritu sancto concepisti, quem virgo genuisti, in sanctissimo sacrificio obtuli, in sanctissimo sacramento sumpsi et intra me contineo. Illum ad modum iusti Simeonis in ulnas meas suscipiens offero tibi, matri eius dilectissimae. O mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei, impetra mihi a suavissimo Filio tuo, Deo-homine, redemptore meo, dilectionem, qua diligam Deum ex toto corde meo, timorem, quo di-

vertam a malo, agnitionem, qua in fide
vera perseverem, spem vitae aeternae,
quae non confundat. Denum maternam
tuam Filiique tui peto benedictionem: Me
cum prole pia benedicat Virgo Maria.
Amen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE VALENCIA

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ACCESSUS ET RECESSUS PRO MISSA DEFUNCTORUM.

ACCESSUS.

Monitum ad sacerdotem.

*Orationibus sanctae ecclesiae et sacri-
ficio salutari et eleemosynis, quae defunc-
torum spiritibus erogantur, non est dubi-
tandum mortuos adiuvari, ut cum iis
misericordius agatur a Domino, quam
eorum peccata meruerunt¹.*

PRECES.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut
incensum in conspectu tuo.


Ego volo celebrare missam etc. pag. 12.

Applicatio. ®

O beatissima Trinitas, unus Deus, unus
Dominus, ego, ordinatione tua sacerdos,

¹ *S. Augustinus, Sermo 172 de verb. Apost. I.
Thess. 4.*

vertam a malo, agnitionem, qua in fide
vera perseverem, spem vitae aeternae,
quae non confundat. Denum maternam
tuam Filiique tui peto benedictionem: Me
cum prole pia benedicat Virgo Maria.
Amen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE VALENCIA

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ACCESSUS ET RECESSUS PRO MISSA DEFUNCTORUM.

ACCESSUS.

Monitum ad sacerdotem.

*Orationibus sanctae ecclesiae et sacri-
ficio salutari et eleemosynis, quae defunc-
torum spiritibus erogantur, non est dubi-
tandum mortuos adiuvari, ut cum iis
misericordius agatur a Domino, quam
eorum peccata meruerunt¹.*

PRECES.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut
incensum in conspectu tuo.

Ego volo celebrare missam etc. pag. 12.

Applicatio. ®

O beatissima Trinitas, unus Deus, unus
Dominus, ego, ordinatione tua sacerdos,

¹ *S. Augustinus, Sermo 172 de verb. Apost. I.
Thess. 4.*

oblatus venio incuruentum sacrificium veri Dei-hominis Iesu Christi, vere et realiter in sacra hostia praesentis, qui seipsum obtulit victimam incuruentam in ultima cena et victimam cruentam in cruce. Sacrificium hoc, quatenus adoratorium est, offero in adorationem divinae maiestatis tuae et in supremum cultum latriae; unde omnium in purgatorio animarum actus adoratorios, quos illae umquam exercuerunt in vita sua, in cor meum contraho tuaeque maiestati repraesento et in illis et cum illis te adoro in deitate, te glorifico in maiestate, te magnifico in sanctissimo sacrificio, quod divinae maiestati tuae offerre volo et quidem primario ac specialiter pro anima . . . (pro animabus . . .). Quatenus sacrificium missae est gratiarum actorium, offero in gratiarum actionem pro omni eo, quod huic animae, pro qua (his animabus, pro quibus) sacrificare intendo, contulisti in tempore et collatus es in aeternitate. Quatenus sacrificium missae

est satisfactorium, offero totam satisfactionem pro anima illa, pro qua (animabus illis, pro quibus) sacrificare intendo; quodsi haec anima sacrificii capax iam non est (hae animae sacrificii capaces iam non sunt), offero pro alia anima vel animabus, sive pro vivis, prout meliori modo offerre et applicare possum. Quatenus sacrificium missae est impetratorium, offero ad impetrandum animae illi, pro qua (animabus illis, pro quibus) sum celebraturus, liberationem a poenis purgatorii, sive levamen in illis; item ad impetrandum, ut aliis etiam sacrificiis, fidelium orationibus et operibus satisfactoriis adiuvetur (adiuventur). Eum autem omnem sacrificii fructum, cuius anima illa capax non est, vel non indiget (animae illae capaces non sunt, vel non indigent), offero et applico pro illis, sive vivis, sive defunctis, pro quibus magis est acceptabilis; o Deus meus, cedat ad gloriam tuam et salutem meam atque creaturarum tuarum. Amen.

Ad SS. Trinitatem et Santos.

O Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, animae illi, pro qua (animabus illis, pro quibus) sacrificabo, misericordiam concede perpetuam, ut ei (eis) proficiat hoc sacrificium in aeternum, sicut speravit et credidit (speraverunt et crediderunt). Me autem famulum tuum, o Pater aeterne, sanctifica et sanctificando dignifica, ut, sacrificium tibi Altissimo oblaturus, in conspectu tuo digne compaream, fiatque sacrificium illud maiestati tuae acceptabile in conspectu tuo. Insuper conscientiam meam, clementissime Pater, gratia tua salutari visitando purifica et purificando dignum habitaculum praepara, ut veniens in sacro convivio Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, paratam sibi in me inveniat mansionem.

O Iesu, vita et resurrectio nostra, qui tuam nobis carnem et sanguinem in cibum potumque dedisti, per infinitum hunc amorem supplex oro, miserere animae, pro

qua (animatorum, pro quibus) sacrificabo, ut mox tecum edat et bibat (edant et bibant) super mensam tuam in regno tuo. Miserere etiam mei, sacerdotis indigni, et praesta, ut debita cordis contritione et devotione, integra corporis castitate et animae puritate celebrare valeam divinum istud et caeleste sacrificium, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate babitur, ubi tu es victima et sacerdos, mirabiliter et ineffabiliter constitutus. Igitur, o Iesu, munda me et mundabor.

O sancte Spiritus, consolator optime, miserere animae, pro qua (animatorum, pro quibus) sacrificabo; da illi (illis) sanctae consolationis dulcedinem, refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem. Miserere etiam mei, peccatoris coram te, et praesta, ut corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari digne sancte que offeram et sumam, atque ex hoc sacrificio mihi et illis, pro quibus sum oratus, consequar salutem et benedictionem in

corpo et anima, in terra et in caelo.
Itaque, o sancte Spiritus, doce me, dignifica me, sanctifica me.

O sancta Maria, Dei genetrix Virgo, mater gratiae, mater misericordiae, gratiam et misericordiam impetra animae illi, pro qua (animabus illis, pro quibus) missam celebrare intendo, ut pretiosa Filii tui sanguine redempta (redemptae) cum omnibus Sanctis aeterna in gloria numerari mereatur (mereantur). Gratiam etiam mihi impetra sacerdoti, ut Filium Dei unigenitum, cuius dignum fuisti habitaculum, digne offeram et digne suscipiam.

O sancte Iosephe, o sancti Angeli, omnesque Electi Dei, intercedite pro anima, pro qua (animabus, pro quibus) accedo ad altare, ut in Electorum consortium recipi mereatur (mereantur); intercedite pro me indigno sacerdote, ut digne celebrem sanctissimum sacrificium missae. Amen.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, humilitatis meae preces benignus intende et me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensa clementiae tuae largitate caelestibus mysteriis servire tribuisti, dignum sacris altaribus fac ministrum, ut, quod mea voce deponitur, tua sanctificatione firmetur, per Christum Dominum nostrum. Amen.

RECESSUS.

Anima Christi, sanctifica me etc. pag. 19.

Oratio ad Iesum.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur! O Iesu dulcissime, corpus tuum sanctissimum et sanguis tuus pretiosissimus est sacrum illud convivium, quod ipse nobis parasti; ad hoc per gratiam tuam ego inops et pauper accessi, in hoc

recolitur memoria amarissimae passionis tuae, potissimum crucifixionis in monte Calvariae, quando tribus horis in cruce medius inter duos latrones pependisti, sanguinem fudisti et in manus Patris inclinato capite spiritum tuum tradidisti, te ipsum sic offerens in sacrificium cruentum. Rogo igitur, o Iesu Christe pro nobis crucifixe, rogo per sanctissimum corpus tuum, quod in hoc sacro convivio sumpsi, per pretiosissimum sanguinem tuum, quem potavi, per sacratissimam passionem tuam, quam veneror, per haec rogo, ut anima mea, quae nescit, an odio sit vel amore digna, in sacro convivio spiritualiter refecta, gratia tua sanctificante repleatur et futurae gloriae pignus illi detur. Amen.

Oblatio.

O beatissima Trinitas, unus Deus, unus Dominus, gratias ago, quod incruentum sacrificium veri Dei-hominis Iesu Christi, vere et realiter in hostia consecrata prae-

sentis, divinae maiestati tuae offerre potuerim. Hoc sacrificium per me oblatum, quatenus est adoratorium, clementissime suscipere digneris in adorationem supremae maiestatis tuae animamque, pro qua (animasque, pro quibus) obtuli, Sanctorum tuorum iubeas iungi consortio, ut te Dominum Deum suum cum omnibus Sanctis adorare valeat (valeant) in caelo; quatenus est gratiarum actorum, gratias ago, quod ego indignus sacerdos ad sanctum altare celebraturus sim admissus, itemque quod anima ista (animae istae) sacrificii a me oblati facta sit particeps (factae sint participes); quatenus sacrificium oblatum est satisfactorium, exhibeo satisfactionem et pretium sanguinis Domini nostri Iesu Christi, ut hoc sacrificio anima illa purgata obtineat (animae illae purgatae obtineant) indulgentiam et ad refrigerium perveniat (perveniant) sempiternum; quatenus est impetratorium, rogo, clementissime Deus, impetrat anima illa (impetrant animae illae),

poenas purgatoriis virtute huius sacrificii cessare aut mitigari, impetrat (impetrent) etiam, sanctae ecclesiae suffragiis, ieiuniis, eleemosynis aliisque bonis operibus adiuvari, ut cito pervenire mereatur (mereantur) ad requiem sempiternam. Denique omnis huius sacrificii a me oblati fructus, cuius anima illa capax non est (animae illae capaces non sunt), cedat, o Deus meus, ad laudem et gloriam nominis tui, ad utilitatem meam et illorum, pro quibus orare vel sacrificare obligor, sive oportet. Praecipue dare digneris ecclesiae sanctae incrementum et pacem, infidelibus et haereticis donum verae fidei, regibus et principibus christianis veram concordiam, amicis et benefactoribus bona sempiterna, inimicis caritatem, captivis inter infideles sanctam consolationem, agonizantibus felicem mortem, defunctis requiem aeternam, mihi servo tuo coram te servire in sanctitate et iustitia omnibus diebus vitae meae. Amen.

Ad B. V. Mariam et Sanctos.


Sancta Maria, mater Dei, sancte Iosephe omnesque Sancti et Sanctae Dei, orate pro anima, pro qua (animabus, pro quibus) missam celebravi; orate pro me indigno sacerdote nunc et in hora mortis meae Amen.

Benedictio.

Benedictum sit dulce nomen Domini nostri Iesu Christi et gloriosissimae Virginis Mariae matris eius in aeternum et ultra. Amen. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Amen¹.

¹ Recitantes oratiunculam *Benedictum* etc. toties quoties lucrantur indulgentias 3 annorum, etiam applicabiles defunctis ex concessione Benedicti XIII.

ACCESSUS ET RECESSUS
EX MISSALI ROMANO.



PRAEPARATIO AD MISSAM PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA¹.

Antiphona.

Ne reminiscaris, * Domine, delicta nostra vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris (alleluia).

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

¹ Leo XIII indulgentiam unius anni cuilibet sacerdoti concessit, qui sequentes 5 psalmos cum sua antiphona, versiculos et orationes adnexas necnon suo die unam ex 7 orationibus S. Ambrosii ante celebrationem missae recitaverit. (Rescript. d. d. 20. Dec. 1884.)

Cor meum et caro mea: exsultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: Rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Iacob.

Protector noster, adspice, Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atris tuis: super millia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia; Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri etc.

VERITATIS
Psalmus 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos, Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis: aut extenderes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: iustitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et iustitia de caelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Iustitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri etc.

Psalmus 85.

Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te
clamavi tota die; laetifica animam servi
tui, quoniam ad te, Domine, animam meam
levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: et
multa emisericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem
meam: intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad
te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine:
et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, ve-
nient et adorabunt coram te, Domine: et
glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu et faciens mira-
bilia: tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et in-
grediar in veritate tua: laetetur cor meum,
ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus,
in toto corde meo: et glorificabo nomen
tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super
me: et eruisti animam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me,
et synagoga potentium quae sierunt animam
meam: et non proposuerunt te in con-
spectu tuo.

Et tu, Domine Deus miserator et mis-
ericors: patiens et multae misericordiae et
verax.

Respic in me et miserere mei: da
imperium tuum pueru tuo, et salvum fac
filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut vi-
deant, qui oderunt me, et confundantur:
quoniam tu, Domine, adiuvasti me et con-
solatus es me.

Gloria Patri etc.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum:
ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo
mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus,
quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen
Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni
populo eius: pretiosa in conspectu Domini
mors sanctorum eius.

O Domine, quia ego servus tuus: ego
servus tuus et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo
hostiam laudis et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu
omnis populi eius: in atriis domus Domini,
in medio tui, Ierusalem.

Gloria Patri etc.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine:
Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem
deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine:
Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter
legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius:
speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem:
speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et
copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus
iniquitatibus eius.

Gloria Patri etc.

Antiphona.

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra
vel parentum nostrorum, neque vindictam
sumas de peccatis nostris (alleluia).

Versiculi et Responsoria.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie,
eleison. Pater noster etc. V. Et ne nos
inducas in temptationem. R. Sed libera nos
a malo. V. Ego dixi: Domine, miserere
mei. R. Sana animam meam, quia peccavi

tibi. **V.** Convertere, Domine, aliquantulum. **R.** Et deprecare super servos tuos. **V.** Fiat misericordia tua, Domine, super nos. **R.** Quemadmodum speravimus in te. **V.** Sacerdotes tui induantur iustitiam. **R.** Et sancti tui exsultent. **V.** Ab occultis meis munda me, Domine. **R.** Et ab alienis parce servo tuo. **V.** Domine, exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat. **V.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Orationes.

Oremus. Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum, ut tuis mysteriis digne ministrare teque aeterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus, Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster, Iesus Christus, Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. **R.** Amen.

Oratio S. Ambrosii Episcopi,
in singulos hebdomadae dies distributa.

Die dominica.

Summe sacerdos et vere pontifex, Iesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti tui, dicens: Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis; rogo per eundem sanguinem tuum, magnum salutis nostrae pretium, rogo per hanc miram et ineffabilem caritatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo: doce me servum tuum indignum, quem inter cetera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae sancte, doce me, queso, per Spiritum sanc-

tum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet et expedit animae meae. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii et per manum sancti Angeli tui repelle a me et a cunctis servis tuis durissimum spiritum superbiae et caenodoxiae, invidiae et blasphemiae, fornica-

tionis et immunditiae, dubietatis et diffiden-
tiae. Confundantur, qui nos persequuntur;
pereant illi, qui nos perdere festinant.

Feria secunda.

Rex virginum et amator castitatis et
integritatis, caelesti rore benedictionis tuae
extingue in corpore meo somitem ar-
dentis libidinis, ut maneat in me tenor
castitatis corporis et animae. Mortifica in
membris meis carnis stimulus omnesque
libidinosas commotiones, et da mihi veram
et perpetuam castitatem cum ceteris donis
tuis, quae tibi placent in veritate, ut sacri-
ficium laudis casto corpore et mundo
corde valeam tibi offerre. Quanta enim
cordis contritione et lacrimarum fonte,
quanta reverentia et tremore, quanta cor-
poris castitate et animae puritate istud
divinum et caeleste sacrificium est cele-
brandum, ubi caro tua in veritate sumitur,
ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi
ima summis, terrena divinis iunguntur, ubi

adest sanctorum Angelorum praesentia, ubi
tu es sacrificium et sacerdos mirabiliter et
ineffabiliter constitutus!

Feria tertia.

Quis digne hoc sacrificium celebrare
poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offeren-
tem feceris dignum? Scio, Domine, et
vere scio et idipsum pietati tuae confiteor,
quia non sum dignus accedere ad tantum
mysterium propter nimia peccata mea et
infinitas negligentias meas. Sed scio et
veraciter ex toto corde meo credo et ore
confiteor, quia tu potes me facere dignum,
qui solus potes facere mundum de immundo
conceptum semine et de peccatoribus iu-
stos et sanctos. Per hanc omnipotentiam
tuam te rogo, Deus meus, ut concedas
mihi peccatori, hoc sacrificium celebrare
cum timore et tremore, cum cordis puri-
tate et lacrimarum fonte, cum laetitia
spirituali et caelesti gaudio. Sentiat mens
mea dulcedinem beatissimae praesentiae

tuae et excubias sanctorum Angelorum
tuorum in circuitu meo.

Feria quarta.

Ego enim, Domine, memor venerandae
passionis tuae, accedo ad altare tuum,
licet peccator, ut offeram tibi sacrificium,
quod tu instituisti et offerri praecepisti in
commemorationem tui pro salute nostra.
Suscipe illud, quaeso, summe Deus, pro
ecclesia sancta tua et pro populo, quem
acquisivisti sanguine tuo. Et quoniam me
peccatorem inter te et eundem populum
tuum medium esse voluisti, licet in me
aliquod boni operis testimonium non agno-
scas, officium saltem dispensationis cre-
ditae non recuses, nec per me indignum
eorum salutis pereat pretium, pro quibus
victima factus salutaris dignatus es esse
et redemptio. Profero etiam, Domine, si
digneris propitius intueri, tribulationes
plebium, pericula populorum, captivorum
gemitus, miserias orphanorum, necessitates

peregrinorum, inopiam debilium, despera-
tiones languentium, defectus senum, su-
spiria iuvenum, vota virginum, lamenta
viduarum.

Feria quinta.

Tu enim misereris omnium, Domine,
et nihil odisti eorum, quae fecisti. Me-
morare, quae sit nostra substantia, quia
tu Pater noster es, quia tu Deus noster
es; ne irascaris satis, neque multitudinem
viscerum tuorum super nos contineas. Non
enim in iustificationibus nostris proster-
nimus preces ante faciem tuam, sed in
miserationibus tuis multis. Aufer a nobis
iniquitates nostras, et ignem sancti Spi-
ritus in nobis clementer accende. Aufer
cor lapideum de carne nostra, et da nobis
cor carneum, quod te amet, te diligit, te
delectetur, te sequatur, te perfruatur. Ora-
mus, Domine, clementiam tuam, ut sereno
vultu familiam tuam, sacri tui nominis
officia praestolantem, aspicere digneris;
et ut nullius sit irritum votum, nullius

vacua postulatio, tu nobis preces suggere,
quas ipse propitius audire et exaudire
delesteris.

Feria sexta.

Rogamus etiam te, Domine, sancte Pater,
et pro spiritibus fidelium defunctorum, ut
sit illis salus, sanitas, gaudium et refri-
gerium hoc magnum pietatis sacramentum.
Domine, Deus meus, sit illis hodie magnum
et plenum convivium de te, pane vivo,
qui de caelo descendisti et das vitam
mundo, de tua carne sancta et benedicta,
Agni videlicet immaculati, qui tollis pec-
cata mundi, quae de sancto et gloriose
beatae Virginis Mariae utero est assumpta
et de Spiritu sancto concepta, ac de illo
pietatis fonte, qui per lanceam militis ex
tuo sacratissimo latere emanavit, ut exinde
refecti et satiati, refrigerati et consolati
exsultent in laude et gloria tua. Peto
clementiam tuam, Domine, ut descendat
super panem tibi sacrificandum plenitudo
tuæ benedictionis et sanctificatio tuæ di-

vinitatis. Descendat etiam, Domine, illa
sancti Spiritus tui invisibilis incomprehen-
sibilisque maiestas, sicut quondam in pa-
trum hostias descendebat, qui et obla-
tiones nostras corpus et sanguinem tuum
efficiat et me indignum sacerdotem do-
ceat tantum tractare mysterium cum cordis
puritate et lacrimarum devotione; cum
reverentia et tremore, ita ut placide ac
benigne suscipias sacrificium de manibus
meis ad salutem omnium tam vivorum
quam defunctorum.

Sabbato.

Rogo etiam te, Domine, per ipsum
sacrosanctum mysterium corporis et san-
guinis tui, quo quotidie in ecclesia tua
pascimur et potamur, abluimur et sancti-
ficamur, atque unius summae divinitatis
participes efficiamur: da mihi virtutes tuas
sanctas, quibus repletus bona conscientia
ad altare tuum accedam, ita ut haec cae-
lestia sacramenta efficiantur mihi salus et

vida. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; ego sum panis vivus, qui de caelo descendit; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam praeter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem saporem, qui nos semper reficis et numquam in te deficis, comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Manducat te Angelus ore pleno; manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis monde, qui descendisti de caelis et das vitam mundo, veni in cor meum et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animae et

corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes; recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris et intus per te munitus recto tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam nec sitiam in aeternum. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Alia Oratio S. Ambrosii Episcopi¹.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Iesu Christe, ego peccator, de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor

¹ Leo XIII indulgentiam 100 dierum pro recitatione huius orationis S. Ambrosii sacerdotibus concessit. (Rescript. d. d. 20. Dec. 1884.)

et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Maiestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te, fontem misericordiae, recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et quem iudicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Iesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem; exaudi me sperantem in te, miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu, qui fontem miserationis numquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Iesu Christi profluens et peccata totius mundi

abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti. Poenitet me peccasse, cupio emendare, quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut, purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum; et concede, ut haec sancta praelibatio corporis et sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis¹.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui,

¹ Leo XIII indulgentiam 100 dierum pro recitatione huius orationis S. Thomae sacerdotibus concessit. (Rescript. d. d. 20. Dec. 1884.)

Domini nostri Iesu Christi; accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum caeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare cætitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum et Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, queso, dominici corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipe, ut corpori suo mystico merear incorporari et inter eius membra connumerari. O amantissime Pater, con-

cede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suspicere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Orationes,

dicendae, cum sacerdos induitur sacerdotalibus paramentis.

Cum lavat manus, dicat:

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam: ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad Amictum, dum ponitur super caput, dicat:

Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos in cursus.

Ad Albam, cum ea induitur.

Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut, in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum, dum se cingit.

Praeinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro.

Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris: ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam, cum imponitur collo.

Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidii in praevaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Casulam, cum assumitur.

Domine, qui dixisti: Iugum meum suave est, et onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM¹.

Antiphona.

Trium puerorum * cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. (Alleluia.)

Canticum trium puerorum (Dan. 3).

Benedicite, omnia opera Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite, Angeli Domini, Domino: benedicite, caeli, Domino.

Benedicite, aquae omnes, quae super caelos sunt, Domino: benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.

Benedicite, sol et luna, Domino: benedicite, stellae caeli, Domino.

¹ Leo XIII indulgentiam unius anni cuilibet sacerdoti concessit, qui canticum *Benedicite* et psalmum *Laudate* cum sua antiphona, versiculos et 3 orationes adnexas necnon orationes S. Thomae et S. Bonaventurae post celebrationem missae recitaverit. (Rescript. d. d. 20. Dec. 1884.)

Benedicite, omnis imber et ros, Domino:
benedicite, omnes spiritus Dei, Domino.

Benedicite, ignis et aestus, Domino:
benedicite, frigus et aestus, Domino.

Benedicite, rores et pruina, Domino:
benedicite, gelu et frigus, Domino.

Benedicite, glacies et nives, Domino:
benedicite, noctes et dies, Domino.

Benedicite, lux et tenebrae, Domino:
benedicite, fulgura et nubes, Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et
superexaltet eum in saecula.

Benedicite, montes et colles, Domino:
benedicite, universa germinantia in terra,
Domino.

Benedicite, fontes, Domino: benedicite,
maria et flumina, Domino.

Benedicite, cete et omnia, quae moven-
tur in aquis, Domino: benedicite, omnes
volucres caeli, Domino.

Benedicite, omnes bestiae et pecora,
Domino: benedicte, filii hominum, Do-
mino.

Benedicat Israel Dominum: laudet et
superexaltet eum in saecula.

Benedicite, sacerdotes Domini, Do-
mino: benedicite, servi Domini, Domino.

Benedicite, spiritus et animae iustorum,
Domino: benedicite, sancti et humiles
corde, Domino.

Benedicite, Anania, Azaria, Misael,
Domino: laudate et superexaltate eum in
saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum
sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus
eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento
caeli: et laudabilis et gloriosus et super-
exaltatus in saecula.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in Sanctis eius: lau-
date eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius: laudate
eum secundum multitudinem magnitudinis
eius.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri etc.

Antiphona.

Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. (Alleluia.)

Versiculi et Responsoria.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster etc. V. Et ne nos inducas in temptationem. R. Sed libera nos a malo. V. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. R. Et Sancti tui benedicant tibi. V. Exsultabunt Sancti in gloria. R. Laetabuntur in cubilibus suis. V. Non nobis, Domine, non nobis. R. Sed nomini

tuo da gloriam. V. Domine, exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Orationes.

Oremus. Deus, qui tribus pueris mitigasti flamas ignium, concede propitius, ut nos, famulos tuos, non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quae sumus, Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepit finiatur.

Da nobis, quae sumus, Domine, vitiorum nostrorum flamas extinguiere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Gratias tibi ago, Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, qui me pecca-

torem, indignum famulum tuum, nullis meis
meritis, sed sola dignatione misericordiae
tuae satiare dignatus es pretioso corpore
et sanguine Filii tui Domini nostri Iesu
Christi. Et precor, ut haec sancta com-
munion non sit mihi reatus ad poenam,
sed intercessio salutaris ad veniam. Sit
mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis.
Sit vitiorum meorum evacuatio, con-
cupiscentiae et libidinis exterminatio, cari-
tatis et patientiae, humilitatis et obedi-
tiae omniumque virtutum augmentatio;
contra insidias inimicorum omnium, tam
visibilium quam invisibilium, firma defen-
sio; motuum meorum, tam carnalium quam
spiritualium, perfecta quietatio; in te uno
ac vero Deo firma adhaesio, atque finis
mei felix consummatio. Et precor te, tu
ad illud ineffabile convivium me pecca-
torem perducere digneris, ubi tu cum Filio
tuo et Spiritu sancto Sanctis tuis es lux
vera, satietas plena, gaudium sempi-
ternum, iucunditas consummata et felicitas

perfecta. Per eundem Christum Dominum
noscum. Amen.

Oratio S. Bonaventurae.

Transfige, dulcissime Domine Iesu, me-
dullas et viscera animae meae suavissimo
ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera
serenaque et apostolica sanctissima cari-
tate, ut langueat et liquefat anima mea
solo semper amore et desiderio tui; te
concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat
dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea
te esuriat, panem Angelorum, refectionem
animarum sanctorum, panem nostrum quo-
tidianum, supersubstantiale, habentem
omnem dulcedinem et saporem et omne
delectamentum suavitatis; te, in quem de-
siderant Angeli prospicere, semper esuriat
et comedat cor meum, et dulcedine sa-
poris tui repleantur viscera animae meae;
te semper sitiat fontem vitae, fontem sa-
cientiae et scientiae, fontem aeterni luminis,
torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei;

te semper ambiat, te quaerat, te inveniat,
ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur,
te loquatur, et omnia operetur in laudem
et gloriam nominis tui, cum humilitate et
discretione, cum dilectione et delectatione,
cum facilitate et affectu, cum perseverantia
usque in finem; et tu sis solus semper
spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae,
delectatio mea, iucunditas mea, gaudium
meum, quies et tranquillitas mea, pax mea,
suavitas mea, odor meus, dulcedo mea,
cibus meus, refectio mea, refugium meum,
auxilium meum, sapientia mea, portio mea,
possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa
et firma et immobiliter semper sit radicata
mens mea et cor meum. Amen.

Rhythmus S. Thomae ad sacram Eucharistiam¹.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas;

¹ Leo XIII indulgentiam 100 dierum pro recitatione huius rhythmii S. Thomae sacerdotibus concessit. (Rescript. d. d. 20. Dec. 1884.)

Tibi se cor meum totum subiicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur;
Credo, quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas;
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor;
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini, ®
Praesta meae menti, de te vivere
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pelicane, Iesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,

Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Iesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

Oratio S. Augustini, edita iussu Urbani VIII.

Ante oculos tuos, Domine, culpas no-
stras ferimus, et plagas, quas accepimus,
conferimus.

Si pensamus malum, quod fecimus,
minus est, quod patimur, maius est, quod
meremur.

Gravius est, quod commisimus, levius
est, quod toleramus.

Peccati poenam sentimus, et peccandi
pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur,
et iniquitas non mutatur.

Mens aegra torquetur, et cervix non
flectitur.

Vita in dolore suspirat, et in opere
non se emendat.

Si exspectas, non corrigimur, si vin-
dicas, non duramus.

Confitemur in correctione, quod egi-
mus, obliviscimur post visitationem, quod
flevimus.

Si extenderis manum, facienda pro-
mittimus, si suspenderis gladium, promissa
non solvimus.


Si ferias, clamamus, ut parcas, si peper-
ceris, iterum provocamus, ut ferias.

Habes, Domine, confitentes reos;
novimus, quod, nisi dimittas, recte nos
perimus.

Praesta, Pater omnipotens, sine merito,
quod rogamus, qui fecisti ex nihilo, qui
te rogarent. Per Christum Dominum no-
strum. Amen.

V. Domine, non secundum peccata
nostra facias nobis. R. Neque secundum
iniquitates nostras retribuas nobis.

Oremus. Deus, qui culpa offenderis,
poenitentia placaris, preces populi tui
supplicantis propitiis respice et flagella
tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris
meremur, averte. Per Christum Dominum
nostrum. R. Amen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ALIAE ORATIONES ANTE ET POST MISSAM.

ANTE MISSAM.

Oratio ad B. V. Mariam¹.

O mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te configlio toto corde et affectu et precor pietatem tuam, ut, sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstisti, ita et mihi misero peccatori et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus clementer assistere digneris, ut tua gratia adiuti dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

¹ Leo XIII sacerdotibus hanc orationem ante missam corde saltem contrito ac devote recitantibus indulgentiam 100 dierum concessit. (Rescript. d. d. 17. Febr. 1883.)

Oremus. Deus, qui culpa offenderis,
poenitentia placaris, preces populi tui
supplicantis propitiis respice et flagella
tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris
meremur, averte. Per Christum Dominum
nostrum. R. Amen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ALIAE ORATIONES ANTE ET POST MISSAM.

ANTE MISSAM.

Oratio ad B. V. Mariam¹.

O mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te configlio toto corde et affectu et precor pietatem tuam, ut, sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstisti, ita et mihi misero peccatori et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus clementer assistere digneris, ut tua gratia adiuti dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

¹ Leo XIII sacerdotibus hanc orationem ante missam corde saltem contrito ac devote recitantibus indulgentiam 100 dierum concessit. (Rescript. d. d. 17. Febr. 1883.)

Oratio ad S. Iosephum¹.

O felicem virum beatum Ioseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluerunt videre et non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire!

V. Ora pro nobis, beate Ioseph. R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Deus, qui dedisti nobis regale sacerdotium, praesta, quaesumus, ut sicut beatus Ioseph unigenitum Filium tuum, natum ex Maria Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare, ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem hodie digne sumamus et in futuro saeculo praemium habere mereamur aeternum. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

¹ Pius IX concessit cuilibet sacerdoti hanc orationem devote ante missam recitanti indulgentiam 100 dierum. (Rescript. d. d. 4. Febr. 1877.)

Oratio ad omnes Angelos et Sanctos¹.

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes caelorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, praesertim Patroni mei, intercedere dignemini pro me, ut hoc sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre ad laudem et gloriam nominis sui et ad utilitatem meam totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.

Oratio ad Sanctum vel Sanctam, cuius ea die festum celebratur².

O sancte (sancta) N., ecce ego miser peccator de tuis meritis confusus, offero nunc sacratissimum sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi

¹ Leo XIII indulgentiam 100 dierum pro recitatione huius orationis sacerdotibus concessit. (Rescript. d. d. 20. Dec. 1884.)

² Leo XIII sacerdotibus pro recitatione huius orationis indulgentiam concessit 100 dierum. (Rescript. d. d. 20. Dec. 1884.)

pro tuo honore et gloria. Precor te humiliter et devote, ut pro me intercedere digneris, ut tantum sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam, ut eum tecum et cum omnibus Electis eius aeternaliiter laudare atque cum eo regnare valeam, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

POST MISSAM.

*Orationes S. Alphonsi Mariae de Ligorio Episcopi
pro singulis hebdomadae diebus¹.*

Die dominica.

Amantissime Iesu, Redemptor et Deus, adoro te praesentem in pectore meo sub speciebus panis et vini, quibus factus es cibus et potus animae meae. Sit infinite benedictus adventus tuus ad animam meam, Deus meus, et pro tanto beneficio tibi ex

¹ Leo XIII indulgentiam 100 dierum pro recitatione cuiuslibet orationis S. Alphonsi suo diei assignatae sacerdotibus concessit. (Rescript. d. d. 20. Dec. 1884.)

intimo corde gratias ago, et doleo eo, quod digne tibi grates rependere non valeo. Et quasnam dignas gratiarum actiones habere posset humilis villicus, si rustica in domo sua ab ipso suo rege se visitatum videret, nisi ad illius pedes se procumbere et tacito admirari et laudare tantam dignationem? Procido ergo coram te, o Rex divine, o Iesu dulcissime, teque adoro ex abyso vilitatis meae. Coniungo adorationem meam adorationi, quam tibi praestitit beatissima Virgo Maria, quando in uterum suum sacrosanctum te recepit, et quo ipsa te amavit amore, eodem te prosequi vellem. O Redemptor amabilis, tu hodie verbis meis obediens de caelo in manus meas descendisti, et ego? Eheu! quoties praeceptis tuis inobediens te ingrato animo sprevi et gratiam et amorem tuum reieci! O bone Iesu, meorum veniam delictorum iam te mihi tribuisse confido; quodsi culpa mea nondum mihi pepercisti, modo, quaeso, ignosce mihi, o Bonitas

infinita, nam te offendisse toto corde me poenitet. Utinam, o Iesu, te semper amavissem! A die saltem, quo primam missam celebravi, unice pro te amore flagrare debuissem. Tu ex milibus me in sacerdotem et amicum tuum elegisti, quid ultra facere debuisti, ut a me diligereris? Sed gratias ago tibi, quia tempus mihi praestas agendi, quod facere omisi. Ex toto corde meo te amare volo. Nullum affectum in corde meo admittere volo nisi pro te, qui me tantis beneficiis ad te redamandum obstrinxisti. Deus meus et omnia. O Deus meus, quid mihi divitiae! quid honores! quid mundi voluptates! Tu omnia mihi es. Tu solus eris deinceps unicum bonum, unicus amor meus. Dicam tibi cum sancto Paulino: Sibi habeant divitias suas divites, regna sua reges; mihi Christus gloria et regnum est. Fruantur reges ac divites terrae regnis suis suisque divitiis, tu, o bone Iesu, divitiae meae et regnum meum mihi solus eris. O Pater aeterne, per amorem

huius Filii tui, quem hodie tibi obtuli et in cor meum recepi, da, quaeso, mihi sanctam perseverantiam in gratia tua et donum tui sancti amoris. Tibi etiam commendo propinquos meos, amicos et inimicos, animas item purgatorii omnesque peccatores. — O mater mea, Maria sanctissima, impetra mihi sanctam perseverantiam et Iesu Christi amorem.

Feria secunda.

O bonitas infinita! O caritas infinita! Deus mihi se totum dedit, factus est totus meus! Anima mea, collige omnes affectus tuos teque intime coniunge Domino tuo, qui dedita opera venit ad te, ut coniungatur tibi et redametur a te. O Redemptor amabilis, amplector te; amor et vita mea, me tibi coniungo, noli me despicere. Heu mihi tempus erat vitae meae, quo te reieci ex anima mea et me separavi a te; sed in posterum vitam meam millies ponere potius volo, quam iterum amittere te, sum.

mum Bonum meum. Obliviscere, Domine, omnium iniuriarum, quibus te affeci, et mihi miseratus ignosce; toto corde me illarum poenitet, et prae dolore mori vellem. Quamvis autem in te peccaverim, mihi praecipis, ut amem te: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Oh! Domine mi, quis ego sum, ut a me diligi cupias! Quoniam hoc desideras, amore te prosequi volo. Tu pro me mortem subire voluisti et carnes tuas in cibum mihi dedisti, ego omnia relinquo, omnibus valedico et te solum, amantissime Salvator, amplector. Quis me separabit a caritate Christi? O Redemptor amabilis, et quem alium diligere volo nisi te, qui es infinita bonitas et infinito amore dignus? Quid mihi est in caelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum (Ps. 72, 25. 26). Profecto quidem, Deus meus, et ubinam sive in caelo sive in terra bonum te maius invenire possum, vel qui magis quam tu me dilexerit? Adveniat

regnum tuum. Oh! bone Iesu, sume, precor, hoc mane totius cordis mei dominium, illud ego tibi totum praebeo. Tu illud semper ac totum posside, et omnes affectus, qui non sunt ad te, ab eo repelle. Te solum in partem meam et in meas divitias eligo: Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. Da, ut semper illud sancti Ignatii a Loyola in ore habeam et petam: Amorem fui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis. Da mihi amorem et gratiam tuam, fac videlicet, ut amem te et amer a te, et dives sum satis, nec amplius ultra desidero, nec aliud quaero. Verumtamen tu scis infirmitatem meam, et quam saepe tibi infidelis extiterim; adiuva ergo me gratia tua, nec umquam permittas me separari ab amore tuo sancto. Ne permittas me separari a te. Hoc nunc tibi dico semperque dicere volo, et id ipsum tribue, ut repetere tibi semper queam: Ne permittas, ne permittas me separari a te. — O Virgo sanctissima,

spes mea, Maria, impetra mihi a Deo
hanc duplice gratiam: sanctam perseve-
rantiam et sanctum amorem; nihil amplius
a te peto.

Feria tertia.

O Domine mi, quomodo potui te multo-
ties offendere, sciens quod peccando tibi
summe displicebam? Per merita, quae-
so, passionis tuae ignosce mihi, et vinculo
amoris tui me tibi obstringe; non te se-
paret a me foetor culparum mearum. Fac,
ut magis ac magis tuam bonitatem et
amorem, qui tibi debetur, et caritatem,
qua me dilexisti, semper agnoscam. Cupio,
bone Iesu, me totum pro te devovere, qui
temetipsum pro me in sacrificium offerre
voluisti. Tu innumeris caritatis argumentis
me tibi obstrinxisti; ne, quae-
so, permittas
me umquam separari a te. Amo te, Deus
meus, teque semper diligere volo. Et
quomodo a te disiunctus et sine gratia
tua vivere potero, cum amorem tuum
cognoverim? Gratias ago tibi, quia me

pertulisti, quando sine gratia tua vivebam,
et quia tempus adhuc mihi praestas amandi
te. Si tunc mihi supervenisset interitus, te
amplius amare non possem. Quoniam vero
adhuc te diligere possum, omnibus viribus
te amare volo, dulcissime Iesu, tibique in
omnibus placere peropto. Diligo te, o
Bonitas infinita, amo te plus quam me; et
quia amo te, dono tibi corpus meum,
animam meam ac totam voluntatem meam.
Fac, Domine, et dispone de me iuxta
beneplacitum tuum, in omnibus me tibi
subiicio. Dummodo mihi concedas, ut
semper diligam te, nihil aliud posco. Ter-
rena bona da volentibus illa; non aliud
ego desidero nihilque peto, nisi perseve-
rantiam in gratia tua et sanctum amorem
tuum. Innixus ego, o Pater aeterne, Filii
tui promissis: Amen, amen dico vobis, si
quid petieritis Patrem in nomine meo,
dabit vobis (Ioan. 16, 23), in nomine Iesu
Christi peto a te sanctam perseverantiam
et gratiam amandi te ex toto corde meo,

perfecte faciendo deinceps voluntatem tuam. O Iesu, tu pro me victima factus es et mihi te ipsum dedisti, ut tradam tibi me ipsum tibique immolem voluntatem meam; inquis enim: Praebe, fili mi, cor tuum mihi (Prov. 23, 26). Ecce cor meum, Domine, ecce cor meum, et animam meam, quam tibi dono et omnino pro te devoveo! Verum, tu scis, Domine, infirmitatem meam, succurre mihi; ne permittas me hanc voluntatem meam a te retrahere ad peccandum in te. Minime, noli hoc permettere; da, ut semper diligam te, fac, ut amem te, quantum sacerdos te diligere debet, et quemadmodum Filius tuus in cruce moriens dicere potuit: Consummatum est, ita in morte mea dicere valeam, quod ex hac die mandata tua custodivi. Praesta, ut in omnibus temptationibus et periculis in te peccandi semper ad te recurram et auxilium tuum per merita Iesu Christi implorare non omittam. — O Maria sanctissima, quae omnia

potes apud Deum, impetra mihi hanc gratiam, ut in temptationibus semper ad Deum et ad te confugiam.

Feria quarta.

O mi Iesu, video, quanta operatus et passus es, ut mihi necessitatem imponeres amandi te, et ego tam ingratum me tibi probavi! Quoties pro vili delectatione et desiderio nequam tuam gratiam commutavi et amisi te, o Deus animae meae! Creaturarum beneficia et grata memoria sum prosecutus, tibi soli me ingratum praebui. Ignosce mihi, Deus meus; doleo eiusmodi ingrati animi crimen et toto corde me poenitet, et veniam a te spero, cum sis infinita bonitas. Si tu bonitas infinita non essem, mihi desperandum foret, nec amplius misericordiam tuam implorare auderem. Tibi sint grates, amor meus, quia ad infernum, quem promerui, non me damnasti, et tanto tempore me sustinuisti. Sola quidem patientia tua in me, Deus

meus, ad amandum te trahere me deberet. Quis umquam me tolerare potuisset, nisi tu, qui es infinitae misericordiae Deus? Iam diu est, ex quo **invitas** me ad amandum te; nolo amplius resistere amori tuo; ecce me tibi totum dedo. Sufficit; quantum in te peccavi, nunc te diligere volo. Amo te, o sumnum Bonum meum, diligo te, o Bonitas infinita, amo te, Deus meus, qui es infinito amore dignus, et semper repetere volo in tempore et in aeternitate: Amo te, amo te. O Deus, et quot annos amisi, in quibus te diligere et in amore tuo progreedi potuisse, et eos insuppsi ad peccandum in te! At sanguis tuus, o Iesu, spes mea est. Numquam, spero, te amare cessabo. Ignoro, quantum mihi vivendum superest; residuum tamen vitae meae sive breve sive longum sit, illud tibi totum consecro. Ad hunc finem hactenus exspectasti me. Volo quippe tibi complacere, volo te, amantissime Domine, semper amare, teque solum diligere volo.

Quid mihi deliciae! quid divitiae! quid honores! Tu solus, Deus meus, tu solus, solus es et semper eris amor meus et omnia. Sed nihil possum, nisi tu adiuves me gratia tua. Vulnera, quaeso, cor meum, inflamma illud sancto amore tuo tibique totum coniunge, ut a te numquam separari possit. Tu amare promisisti, qui te diligit: Ego diligentes me diligo (Prov. 8, 17). Nunc amo te; parce audaciae meae, ama tu etiam me, nec permittas me quidquam facere, quod impedit, quominus diligas me: Qui non diligit, manet in morte (1 Ioan. 3, 14). Libera me ab ista morte, qua impediar, quominus amem te. Fac, ut semper diligam te, ut semper tu queas amare me; et sic dilectio nostra aeterna sit, nec inter me et te amplius dissolvatur. Hoc praesta, Pater aeterne, per amorem Iesu Christi. Hoc ipsum concede, iucundissime Iesu, ob merita tua, per quae spero fore, ut te semper diligam et vicissim a te semper diligar. — O Maria,

mater Dei et mater mea, tu etiam deprecare Iesum pro me.

Feria quinta.

O Deus infinitae maiestatis, en profitorem ad pedes tuos, qui tam graviter in te deliquit! Tu multoties pepercisti peccatis meis, et ego, spretis beneficiis et praesidiis, quibus me donasti, iterum te iniuriis affeci. Ceteri peccaverunt in tenebris, ego autem in luce. Sed audi vocem huius Filii tui, quem modo tibi obtuli et qui nunc est in pectore meo; ipse pro me misericordiam et veniam apud te implorat. Parce mihi, o Bonitas infinita, per amorem Iesu Christi, quia te offendisse toto corde me poenitet. Scio te libenter Iesu Christi amore peccatoribus fieri placabilem: Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum (Coloss. 1, 19, 20). Per amorem igitur Iesu Christi placare tu etiam mihi. Ne proiicias me a facie tua, quamvis id merear; parce mihi, et muta cor meum.

Cor mundum crea in me, Deus. Hoc age ob honorem saltem tuum, quoniam elegisti me in sacerdotem et ministrum ad offerendum tibi ipsum Filium tuum. Fac me vivere, sicut decet sacerdotem. Da cor mihi, quo te sacerdos amare debet. Exstingue, precor, et destrue in me tui amoris igne omnes terrenos affectus. Fac, ut gratum deinceps me tibi probem pro tantis beneficiis mihi collatis et pro tanto amore, quo amasti me. Si olim amicitiam tuam sprevi, nunc eam magis aestimo quam cuncta mundi regna, et beneplacitum tuum omnibus divitiis ac caeli terraeque deliciis antepono. O Pater mi, per Iesu Christi amorem abstrahe me ab omnibus rebus. Tu vis, ut sacerdotes tui ab omnibus, quae in mundo sunt, omnino segregati sint ac tibi soli et operibus gloriae tuae vivant: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos (Act. 13, 2). Scio, quod etiam id a me requiris, et hoc facere propono, sed tu adiuva me

gratia tua. Trahe me totum ad te. In laboribus et in adversis mihi patientiam et voluntatis conformatiōnem tribue. Da, ut per amorem tuum meipsum mortificem. Concede mihi spiritum verae humilitatis, quo gaudeam me abiectum et imperfectum reputari. Doce me facere voluntatem tuam, et tum, quod a me requiris, indica mihi, id enim exsequi volo. Recipe, Deus meus, ad amandum te peccatorem, qui hactenus nimium in te peccavit, sed nunc vere te diligere vult et esse tuus. O Deus aeterne, spero fore, ut te amem in aeternum. Et ideo volo etiam in hac vita te multum amare, ut multum te amare valeam in aeternitate. Et quia amo te, ab omnibus te cognosci et amari desidero. Et ideo, Domine, quoniam fecisti me sacerdotem tuum, fac, ut pro te laborem et saluti animarum incumbam. Haec omnia spero per tua merita, o Christe Iesu, et per tuam intercessionem, o mater mea Maria.

Feria sexta.

O Iesu, et quomodo potuisti me ex milibus in sacerdotem tuum eligere! Me, qui toties tibi terga verti et pro nihilo gratiam tuam sprevi! Amantissime Domine mi, doleo ex tota anima mea de peccatis meis. Dicito mihi, remisistine peccata mea? Spero quidem. Fuisti quippe Redemptor meus non semel tantum, sed quoties mihi pepercisti! Ah, Salvator mi, numquam te offendissem! Fac, obsecro, me audire, quod Magdalene dixisti: Remittuntur tibi peccata tua. Fac, ut sentiam me in gratiam tuam iam esse receptum, donans mihi magnum dolorem de peccatis meis. In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis. O divinissime Pastor, tu de caelo descendisti ad inveniendum me, perditam ovem, et pro me quotidie super altare descendis; posuisti vitam tuam, ut salvum me faceres, ne derelinquas me. In manus tuas commendo animam meam, suscipe clementer

eam, et ne permittas umquam separari a te. Tu pro me totum sanguinem tuum fudisti; te ergo quaesumus, tuis familis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. Nunc es advocatus meus, non vero iudex; veniam pro me apud Patrem tuum implora; obtine mihi lumen et virtutem amandi te ex tota anima mea. Da residuum vitae meae sic transigere, ut, cum te iudicem aspexero, mihi te placatum videam. Regna, queso, amore tuo in corde meo, fac, ut sim totus tuus; et ideo, Salvator amabilis, memorem me fac semper amoris, quo me dilexisti, et quanta operatus et passus es, ut me salvares et amareris a me. Ad hoc me sacerdotem fecisti, ut nihil diligam praeter te. Iesu mi, volo quippe tibi complacere; ego diligo te, et nihil aliud diligere volo praeter te. Fac me humilem et patientem in laboribus huius vitae, mansuetum in humiliationibus, a terrenis deliciis abhorrentem et a creaturis abstractum, et praesta, ut a corde

meo eliciam omnes affectus, qui non sunt ad te. Haec omnia a te imploro et spero per merita passionis tuae. O Iesu iucundissime, amabilis Iesu, o bone Iesu, exaudi me. — O mater mea et spes mea, Maria, tu quoque exaudi me et ora Iesum pro me.

Sabbato.

Loquere, Domine, quia audit servus tuus (1 Reg. 3, 10). O Iesu amantissime, tu venisti etiam hoc mane ad visitandam animam meam; ex intimo corde tibi gratias ago. Quoniam venisti ad me, loquere, queso, et dico mihi, quid velis a me, quia omnia facere volo. Non mereo, quod ultra mihi loquaris, eo quod vocem tuam audire persaepe recusavi, qua me vocabas ad amorem tuum, et ingratus tibi terga verti. Verum de peccatis meis iam poenitentiam egi, nunc iterum me illorum poenitet, et veniam a te iam obtinuisse confido. Dic ergo mihi, quid me vis facere, sum enim paratus ad omnia. Utinam,

Deus meus, te semper amassem. Heu mihi! quot annos amisi! At sanguis tuus et promissiones tuae spem mihi afferunt reparandi tempus amissum, te solum deinceps amando tibique placendo. Amo te, Redemptor meus, amo te, Deus meus; ad nihil aspiro, nisi ad amandum te ex toto corde meo et ad vitam ipsam ponendam pro amore tui, qui amore mei mortem subire voluisti. Amore amoris tui, dicam tibi cum sancto Francisco, moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. Tu, Iesu, mihi totum te ipsum dedisti; dedisti tuum sanguinem, vitam, omnes sudores tuos, omnia merita tua, plus dare non habuisti: ego me totum tibi dono; dono tibi omnes delectationes meas, omnes saeculi delicias, corpus meum, animam, voluntatem; plus tibi dare non habeo; si plus haberem, plus tibi darem. Iucundissime Iesu, tu mihi sufficis. Fac tamen, Domine, ut sim tibi fidelis; ne permittas me, mutata voluntate, derelinquere te.

Spero per merita passionis tuae, Salvator mi, id mihi numquam obventurum. Tu dixisti: Nullus speravit in Domino et confusus est (Eccli. 2, 11). Tota igitur fiducia dicere possum et ego: In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum (Ps. 30, 2). Spero, o Deus animae meae, et semper volo sperare, numquam confusionem passurum videndi me separatum a te. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. Deus meus, tu omnipotens es, effice me sanctum. Fac, ut multum diligam te, fac, ut nihil praetermittam, quod redundet in gloriam tuam, et omnia vincam, ut tibi complaceam. O me beatum, si omnia perdam, ut solum te et amorem tuum inveniam! Ad hunc finem vitam tribuisti mihi, fac, ut eam operibus gloriae tuae omnino impendam. Non mereor beneficia, sed poenas; ideo deprecor te, ut punias me sicut vis, dummodo gratiam tuam non auferas a me. Sine mensura amasti me, o Caritas infinita, o infinita

Bonitas, sic amo et amabo te. O voluntas Dei, tu es amor meus. O Iesu mi, tu mortuus es pro me, utinam ego etiam mori possem pro te et morte mea efficere, ut omnes ament te! O Bonitas infinita et infinite amabilis, ego te maximi facio et super omnia diligo te. — O Maria, trahe me ad Deum; da mihi fiduciam in te et fac, ut semper ad te confugiam; intercessione tua sanctum me reddere debes: ita spero.

Oratio ad B. V. Mariam¹.

O Maria, virgo et mater sanctissima, ecce suscepit dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti atque suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cuius aspectu laetabar et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter re-

¹ Leo XIII indulgentiam 100 dierum pro recitatione huius orationis sacerdotibus concessit. (Rescript. d. d. 20. Dec. 1884.)

praesento et offero tuis brachiis constrin- gendum, tuo corde amandum sanctissimae que Trinitati in supremum latriae cultum pro tui ipsius honore et gloria, et pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum. Rogo ergo te, piissima mater, im- petra mihi veniam omnium peccatorum meorum uberemque gratiam, ipsi deinceps fidelius serviendi, ac denique gratiam finaliem, ut eum tecum laudare possim per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio S. Augustini ad B. V. Mariam.

O sacratissima, o serenissima et inclyta, gloriosa Virgo Maria, quae Creatorem omnium creaturarum in tuo sacratissimo utero fuisti digna portare solaque virginis ubere lactare, cuius veracissimum sacram- que corpus et sanguinem ego indignus peccator modo sumere praecepsus: tuam humiliter deprecor misericordiam, ut apud ipsum pro me peccatore intercedere digneris, ut, quidquid in hoc tam ineffabili ac dignis-

simo sacrificio per me indignum ignoranter, vel negligenter, aut accidenter, seu irreverenter, scilicet in tractando et sumendo ac ministrando actum est, commissum vel omissum, tuis sacratissimis precibus indulgere dignetur idem Dominus noster Iesus Christus, Filius tuus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad S. Iosephum¹.

Virginum custos et pater, sancte Ioseph, cuius fideli custodiae ipsa innocentia, Christus Iesus et Virgo virginum Maria, commissa fuit, te per hoc utrumque carissimum pignus, Iesum et Mariam, obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Iesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

¹ Pius IX omnibus sequentem orationem corde saltem contrito ac devote recitantibus indulgentiam 100 dierum concessit. (Rescript. d. d. 4. Febr. 1877.)

Oratio ad omnes Sanctos.

O Sancti Dei omnes, qui in carne viventes sic Domino servistis, ut iam cum ipso sine fine regnetis, adeste mihi, queso, precibus meritisque vestris, ut panis ille caelstis et viaticum divinum, quod modo sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula et insidias praestet robur et tutamen; ut in fortitudine cibi illius ambulem per huius mundi desertum usque ad montem Dei, et ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum iugiter gaudeam et eum una vobiscum laudem per omnia saecula. Amen.

Oratio ad Iesum crucifixum¹.

Obsecro te, dulcissime Domine Iesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegat atque defendat. Vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar,

¹ Pius IX sacerdotibus, qui sequentem orationem post celebrationem missae recitaverint, indulgentiam 3 annorum concessit. (Decret. d. d. 11. Dec. 1846.)


inebrier et delecter. Aspersio sanguinis
tui sit mihi ablutio omnium delictorum
meorum. Mors tua sit mihi gloria sempiterna.
In his sit mihi refection, exsultatio,
sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis
et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ante imaginem Crucifixi dicenda¹.

En ego, o bone et dulcissime Iesu,
ante conspectum tuum genibus me provolvo
ac maximo animi ardore te oro atque

¹ Pius IX inherendo decretis praedecessorum suorum (Clementis VIII, Benedicti XIV, Pii VII et Leonis XII) eorundem concessiones confirmando, etiam quoad applicationem pro animabus in purgatorio detentis, benigne declaravit indulgentiam plenariam huic orationi *En ego etc.* adnexam lucrari ab iis Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi sacrae communione refecti dictam orationem quo-cumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, ante quamcumque sanctissimi Crucifixi imaginem devote recitaverint ac insuper per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. (Decret. d. d. 31. Iuli 1858.)

obtestor, ut meum in cor vividos fidei,
spei et caritatis sensus atque veram pec-
catorum meorum poenitentiam eaque
emendandi firmissimam voluntatem velis
imprimere, dum magno animi affectu et
dolore tua quinque vulnera mecum ipse



considero ac mente contemplor, illud prae
oculis habens, quod iam in ore ponebat
tuo David propheta de te, o bone Iesu:
Foderunt manus meas et pedes meos;
dinumeraverunt omnia ossa mea (Ps. 21,
17. 18).

Invocatio Spiritus sancti¹.

Hymnus.

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti, pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas
Et spiritualis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

¹ Pius VI omnibus Christi fidelibus, qui hymnum *Veni, Creator Spiritus* vel sequentiam *Veni, sancte Spiritus* corde saltem contrito ac devote recitant, pro qualibet vice indulgentiam 100 dierum concessit, 300 vero dierum, si recitatio fit in die festo Pentecostes vel infra octavam huius festi, et indulgentiam plenariam, semel in mense lucrādam, iis, qui hymnum vel sequentiam semel aut pluries in die modo praedicto recitant. (Breve d. d. 26. Maii 1796.)

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxiū.

Per te sciamus, da, Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria
Eiusque soli Filio

Cum Spiritu Paraclito
Nunc et per omne saeculum. Amen.

*Loco huius ultimæ strophae tempore paschali dicitur
sequens:*

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur
(alleluia).

R. Et renovabis faciem terrae (alleluia).

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus
illustratione docuisti, da nobis in eodem
Spiritu recta sapere et de eius semper
consolatione gaudere. Per Christum Do-
minum nostrum. Amen.

Sequentia.

Veni, sancte Spiritus,
Et emitte caelitus
Lucis tuae radium.

Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,

Veni lumen cordium.

Consolator optime,

Dulcis hospes animae,

Dulce refrigerium.

In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

Sine tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

Da tuis fidelibus,
In te confidentibus,
Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium. Amen.

V. Spiritus Domini replevit orbem terrarum (alleluia).

R. Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis (alleluia).

Oremus.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Adspirationes ad Spiritum sanctum.

1. Veni, o Spiritus Sapientiae, da mihi recta sapere in bonis caelestibus viamque monstra, qua illa consequi valeam. Gloria Patri etc.

2. Veni, o Spiritus Intellectus, da mihi intellectum circa salutis mysteria, ut ea percipiam et amplectar. Gloria Patri etc.

3. Veni, o Spiritus Consilii, mentem meam in bonum inclina, quo mihi et proximo prodesse possim. Gloria Patri etc.

4. Veni, o Spiritus *Fortitudinis*, contra hostes animae conforta me, ut vincenti detur corona victoriae. Gloria Patri etc.

5. Veni, o Spiritus *Scientiae*, scientiam doce me, qua sic transeam per bona temporalia, ut non amittam aeterna. Gloria Patri etc.

6. Veni, o Spiritus *Pietatis*, impelle me, ut sobrie et iuste et pie vivam in hoc saeculo. Gloria Patri etc.

7. Veni, o Spiritus *Timoris Domini*, confige timore tuo carnes meas, ut cum timore et tremore operer salutem animae meae. Gloria Patri etc.

V. Repleti sunt omnes Spiritu sancto (alleluia).

R. Et cooperunt loqui (alleluia). ®

Oremus.

Adsit nobis, quae sumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget et ab omnibus tueatur

adversis. Per Christum Dominum nostrum.
Amen.

Hymnus ad SS. Cor Iesu.

Cor Iesu, cor purissimum,
O arca sanctitatis,
Cor meum purga sordidum,
Infectum tot peccatis.

Qui movet tibi vomitum,
Auserto hinc teporem;
Infunde novum spiritum
Et spiritus fervorem.

Cor mite, cor humillimum,
Cor plenum bonitatis,
Cor tuo da simillimum,
Da ignem caritatis.

Sed quid? Si vel seraphico
Amore cor flagraret,
Non tamen hoc incendio,
Non satis te amaret.

Ut ergo te diligere,
Cor Iesu, possim satis,

Immensem da, quo amas me,
Ardorem caritatis.

Hoc, hoc amoris iaculo
Cor meum accendatur;
Et huius ab incendio
In cineres solvatur.

O mors exoptatissima,
Sic mori vi amoris!
Amoris sit cor victima
Pro corde Redemptoris.

Amore tui moriar,
Cor Iesu, amor meus,
Ut novo corde ordiar
Amare te, o Deus! Amen.

V. Ignem veni mittere in terram.
R. Et quid volo, nisi ut accendatur?

Oremus. ®

Concede, quaesumus, omnipotens Deus,
ut, qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde
gloriantes praecipua in nos caritatis eius
beneficia recolimus, eorum pariter et actu

delectemur et fructu. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Litaniae de Sacro Corde Iesu¹.

Kyrie, eleison.

Christe, eleison.

Kyrie, eleison.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de caelis Deus, miserere nobis.

Fili, Redemptor mundi Deus,²

Spiritus sancte Deus,

Sancta Trinitas, unus Deus,

Cor Iesu, Filii Patris aeterni,

Cor Iesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu
sancto formatum,

Cor Iesu, Verbo Dei substantialiter unitum,

¹ Sanctissimus Dominus noster, Leo XIII., ut Litaniae Sacratissimi Cordis iam probatae et indulgentiis 300 dierum auctae ubique terrarum tum privatum tum publice recitari et decantari in posterum valeant, concedere dignatus est. (Decret. d. d. 2. Aprilis 1899.)

² Miserere nobis.

Cor Iesu, maiestatis infinitae,
Cor Iesu, templum Dei sanctum,
Cor Iesu, tabernaculum Altissimi,
Cor Iesu, domus Dei et porta caeli,
Cor Iesu, fornax ardens caritatis,
Cor Iesu, iustitiae et amoris receptaculum,
Cor Iesu, bonitate et amore plenum,
Cor Iesu, virtutum omnium abyssus,
Cor Iesu, omni laude dignissimum,
Cor Iesu, rex et centrum omnium cordium,
Cor Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae,
Cor Iesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis,
Cor Iesu, in quo Pater sibi bene complacuit,
Cor Iesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Iesu, desiderium collum aeternorum,
Cor Iesu, patiens et multae misericordiae,
Cor Iesu, dives in omnes qui invocant te,
Cor Iesu, fons vitae et sanctitatis,
Cor Iesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Iesu, saturatum opprobriis,

Cor Iesu, attritum propter sclera nostra,
 Cor Iesu, usque ad mortem obediens factum,
 Cor Iesu, lancea perforatum,
 Cor Iesu, fons totius consolationis,
 Cor Iesu, vita et resurrectio nostra,
 Cor Iesu, pax et reconciliatio nostra,
 Cor Iesu, victima peccatorum,
 Cor Iesu, salus in te sperantium,
 Cor Iesu, spes in te morientium,
 Cor Iesu, deliciae Sanctorum omnium,
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, —
 parce nobis, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, —
 exaudi nos, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, —
 miserere nobis.

V. Iesu, mitis et humilis corde.

R. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, respice
 in Cor dilectissimi Filii tui et in laudes
 et satisfactiones, quas in nomine pecca-

torum tibi persolvit, iisque misericordiam
 tuam petentibus tu veniam concede pla-
 catus in nomine eiusdem Filii tui Iesu
 Christi. Qui tecum vivit et regnat in uni-
 tate Spiritus sancti Deus, per omnia sae-
 cula saeculorum. Amen.

Ad Sacratissimum Cor Iesu
formula consecrationis recitanda.

Iesu dulcissime, Redemptor humani
 generis, respice nos ad altare tuum hu-
 millime provolutos. Tui sumus, tui esse
 volumus. Quo autem tibi coniuncti firmius
 esse possimus, en hodie Sacratissimo Cordi
 tuo se quisque nostrum sponte dedicat.
 Te quidem multi novere numquam, te,
 spretis mandatis tuis, multi repudiarunt;
 miserere utrorumque, benignissime Iesu,
 atque ad sanctum Cor tuum rape universos.
 Rex esto, Domine, nec fidelium tantum,
 qui nullo tempore discessere a te, sed
 etiam prodigorum filiorum, qui te relique-
 runt; fac hos, ut domum paternam cito

repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto denique eorum omnium, qui in vetere gentium superstitione versantur, eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis; perfice, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus, ipsi gloria et honor in saecula. Amen.

Litaniae de SS. Nomine Iesu¹.

Kyrie, eleison.

Christe, eleison.

¹ Leo XIII omnibus, qui has Litanias cum orationibus adnexis corde saltem contrito ac devote recitant, indulgentiam 300 dierum concessit. (Decret. d. d. 16. Ian. 1886.)

Kyrie, eleison.

Iesu, audi nos.

Iesu, exaudi nos.

Pater de caelis Deus, — miserere nobis.

Fili, Redemptor mundi Deus,¹

Spiritus sancte Deus,

Sancta Trinitas, unus Deus,

Iesu, Fili Dei vivi,

Iesu, splendor Patris,

Iesu, candor lucis aeternae,

Iesu, Rex gloriae,

Iesu, sol iustitiae,

Iesu, fili Mariae Virginis,

Iesu amabilis,

Iesu admirabilis,

Iesu, Deus fortis,

Iesu, pater futuri saeculi,

Iesu, magni consilii Angele,

Iesu potentissime,

Iesu patientissime,

Iesu obedientissime,

¹ Miserere nobis.

Iesu mitis et humilis corde,
 Iesu, amator castitatis,
 Iesu, amator noster,
 Iesu, Deus pacis,
 Iesu, auctor vitae,
 Iesu, exemplar virtutum,
 Iesu, zelator animarum,
 Iesu, Deus noster,
 Iesu, refugium nostrum,
 Iesu, pater pauperum,
 Iesu, thesaure fidelium,
 Iesu, bone pastor,
 Iesu, lux vera,
 Iesu, sapientia aeterna,
 Iesu, bonitas infinita,
 Iesu, via et vita nostra,
 Iesu, gaudium Angelorum,
 Iesu, rex Patriarcharum,
 Iesu, magister Apostolorum,
 Iesu, doctor Evangelistarum,
 Iesu, fortitudo Martyrum,
 Iesu, lumen Confessorum,
 Iesu, puritas Virginum,

Iesu, corona Sanctorum omnium,
 Propitius esto, — parce nobis, Iesu.
 Propitius esto, — exaudi nos, Iesu.
 Ab omni malo, — libera nos, Iesu.
 Ab omni peccato¹
 Ab ira tua
 Ab insidiis diaboli
 A spiritu fornicationis
 A morte perpetua
 A neglectu inspirationum tuarum
 Per mysterium sanctae incarnationis tuae
 Per nativitatem tuam
 Per infantiam tuam
 Per divinissimam vitam tuam
 Per labores tuos
 Per agoniam et passionem tuam
 Per crucem et derelictionem tuam
 Per languores tuos
 Per mortem et sepulturam tuam
 Per resurrectionem tuam
 Per ascensionem tuam

¹ Libera nos, Iesu.

Per gaudia tua
 Per gloriā tuam
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, —
 parce nobis, Iesu.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, —
 exaudi nos, Iesu.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, —
 miserere nobis, Iesu.
 Iesu, audi nos.
 Iesu, exaudi nos.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui dixisti: Pe-
 tite, et accipietis; quaerite, et invenietis;
 pulsate, et aperietur vobis: quaesumus,
 da nobis potentibus divinissimi tui amoris
 affectum, ut te toto corde, ore et opere
 diligamus, et a tua numquam laude ces-
 semus.

Sancti nominis tui, Domine, timorem
 pariter et amorem fac nos habere perpe-
 tum, quia numquam tua gubernatione
 destituis, quos in soliditate tuae dilectionis

instituīs. Qui vivis et regnas in saecula
 saeculorum. Amen.

Litaniae Lauretanae B. M. V.¹

Kyrie, eleison.
 Christe, eleison.
 Kyrie, eleison.
 Christe, audi nos.
 Christe, exaudi nos.
 Pater de caelis Deus, — miserere nobis.
 Fili, Redemptor mundi Deus,²
 Spiritus sancte Deus,

¹ Pius VII omnibus Christifidelibus, qui corde
 saltem contrito ac devote Litanias B. M. V. recitant,
 pro qualibet vice indulgentiam 300 dierum con-
 cessit, et insuper indulgentiam plenariam in festis Im-
 maculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis,
 Purificationis et Assumptionis B. M. V. lucrandam
 iis elargitus est, qui Litanias B. M. V. quotidie modo
 praedicto recitant, dummodo vere poenitentes con-
 fessi ac sacra Communione refecti fuerint et iuxta
 mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. (Decret. d. d.
 30. Sept. 1817.)

² Miserere nobis.

Sancta Trinitas, unus Deus,
 Sancta Maria, — ora pro nobis.
 Sancta Dei Genetrix,¹
 Sancta Virgo virginum,
 Mater Christi,
 Mater divinae gratiae,
 Mater purissima,
 Mater castissima,
 Mater inviolata,
 Mater intemerata,
 Mater amabilis,
 Mater admirabilis,
 Mater Creatoris,
 Mater Salvatoris,
 Virgo prudentissima,
 Virgo veneranda,
 Virgo praedicanda,
 Virgo potens,
 Virgo clemens,
 Virgo fidelis,
 Speculum iustitiae,

¹ Ora pro nobis.

Sedes sapientiae,
 Causa nostrae laetitiae,
 Vas spirituale,
 Vas honorabile,
 Vas insigne devotionis,
 Rosa mystica,
 Turris Davidica,
 Turris eburnea,
 Domus aurea,
 Foederis arca,
 Ianua caeli,
 Stella matutina,
 Salus infirmorum,
 Refugium peccatorum,
 Consolatrix afflictorum,
 Auxilium Christianorum,
 Regina Angelorum,
 Regina Patriarcharum,
 Regina Prophetarum,
 Regina Apostolorum,
 Regina Martyrum,
 Regina Confessorum,
 Regina Virginum,

Regina Sanctorum omnium,
 Regina sine labe originali concepta,
 Regina sacratissimi Rosarii,
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, —
 parce nobis, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, —
 exaudi nos, Domine.
 Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, —
 miserere nobis.
 V. Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix.
 R. Ut digni efficiamur promissionibus
 Christi.

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quae sumus,
 Domine Deus, perpetua mentis et corporis
 sanitate gaudere, et gloria beatae Mariae
 semper Virginis intercessione a praesenti
 liberari tristitia et aeterna perfri laetitia.
 Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tempore paschali dicitur:

V. Gaude et laetare, Virgo Maria, alleluia.
 R. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui
 Domini nostri Iesu Christi mundum laeti-
 ficare dignatus es, praesta, quae sumus, ut
 per eius Genetricem Virginem Mariam per-
 perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem
 Christum Dominum nostrum. Amen.

Hymnus SS. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus: * te Dominum
 confitemur.

Te aeternum Patrem * omnis terra
 veneratur.

Tibi omnes Angeli, * tibi caeli et
 universae Potestates,

Tibi Cherubim et Seraphim * incessa-
 bili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus * Dominus
 Deus Sabaoth.

Pleni sunt caeli et terra * maiestatis
 gloriae tuae.

Te gloriosus * Apostolorum chorus,
 Te Prophetarum * laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.

Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia:

Patrem * immensae maiestatis:

Venerandum tuum verum * et unicum Filium,

Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriae, * Christe,

Tu Patris * sempiternus es Filius;

Tu ad liberandum suscepturus hominem * non horruisti Virginis uterum;

Tu, devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus regna caelorum;

Tu ad dexteram Dei sedes, * in gloria Patris.

Iudex crederis * esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis tuis * in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine, * et benedic hereditati tuae:

Et rege eos, * et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies * benedicimus te,
Et laudamus nomen tuum in saeculum *
et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto * sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine, * miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, * quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi, * non confundar in aeternum.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu (alleluia).

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula (alleluia).

V. Benedictus es, Domine, in firmamento caeli (alleluia).

R. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula (alleluia).

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui potentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Preces iussu Papae Leonis XIII

in omnibus orbis ecclesiis post privatae Missae celebrationem immediate expleto ultimo Evangelio flexis genibus a sacerdote et populo alternis vicibus recitandae¹.

Ave Maria etc. ter.

Salve, Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te

¹ Leo XIII omnibus has preces modo praescripto recitantibus 300 dierum indulgentiam largitur. (Decret. d. d. 6. Ian. 1884.)

clamamus exsules filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.


Deus, refugium nostrum et virtus, populum ad te clamantem propitiis respice; et intercedente gloria et immaculata Virgine Dei Genitrici Maria cum beato Iosepho eius Sponso ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, quas pro conversione peccatorum, pro libertate et exaltatione sanctae matris Ecclesiae preces effundimus, misericors et benignus exaudi. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Accessus ad altare etc. Ed. 4.

Sancte Michael Archangele, defende nos in proelio; contra nequitiam et insidias diaboli esto praesidium. *Imperet illi Deus*, supplices deprecamur; tuque, princeps militiae caelestis, satanam aliasque spiritus malignos, qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, divina virtute in infernum detrude.

R. Amen.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sumptibus ac typis B. HERDER, typographi editoris pontificii, Friburgi Brisgoviae, prodiit:

MANNA QUOTIDIANUM SACERDOTUM

SIVE

PRECES

ANTE ET POST MISSAE CELEBRATIONEM.

CUM BREVIBUS MEDITATIONUM PUNCTIS
PRO SINGULIS ANNI DIEBUS.

PRECES EDIDIT, MEDITATIONUM PUNCTA COMPOSUIT,
APPENDICEM ADJECIT

JACOBUS SCHMITT,

SS. THEOL. DOCT., PRAELATUS DOMEST. S.S., IN ECCLESIA
CATHEDR. FRIBURG. CANONICUS.

EDITIO TERTIA.

CUM APPROB. REVMI ARCHIEP. FRIBURG.

3 tomis in-12^o. (XXXVI, 1600 et CLXIV p.)

Pretium: *M. 9 = Fr. 11.25*; cum dorso corio reli-
gato *M. 12.60 = Fr. 15.75*.

... Die dem *Scutum fidei* des P. Boppert entnommenen Gebete in ihrer reichsten Abwechslung für alle Tage des Jahres, die kurzen, oft recht gedankteichen Punkte zur Betrachtung, der jedem Bändchen beigegebene Anhang einer Auswahl anderer ansprechender Gebete vor und nach der heiligen Messe bieten eine Fülle des Stoffes zur Nahrung der Andacht....

(Stimmen aus Maria-Laach. Freiburg 1890. Nr. 5.)

Depuis longtemps le clergé désirait, pour obvier à la routine, un grand choix de prières avant et après la messe. Ce livre vient répondre à ce vœu....

Aussi pouvons-nous dire que ce manuel du D. Schmitt mériterait d'être entre les mains de tout prêtre.

(Le Moniteur de Rome. 1890. Nr. 87.)

Sumptibus ac typis B. HERDER, typographi
editoris pontificii, Friburgi Brisgoviae, prodierunt:

S. IGNATII DE LOYOLA

MEDITATIONUM
ET CONTEMPLATIONUM
PUNCTA

LIBRI EXERCITIORUM TEXTUM DILIGENTER SECUTUS
VERITATIS
EXPLICAVIT

FR. DE HUMMELAUER S. J.

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS.

12^o. (VIII et 436 p.)

Pretium: M. 3 = Fr. 3.75; cum dorso corio religato
M. 4.40 = Fr. 5.50.

Ces méditations, rédigées d'après la méthode de Saint Ignace, roulent toutes sur la vie de Jésus-Christ. C'est l'Évangile tout entier, au moins dans ses scènes essentielles, mis sous forme de méditations et de colloques. En tête de chaque sujet, l'auteur rappelle les paroles du texte sacré. Puis viennent les divisions, toujours simples et naturelles, et chacune est accompagnée de développements substantiels et très propres à nourrir la piété sacerdotale. Disons enfin que ces méditations, *écrites dans un latin élégant et facile*, se lisent sans aucune peine, et qu'au mérite du style elles joignent celui d'une exécution typographique absolument irréprochable.
(Revue du clergé français. Paris 1806. 1. Sept.)

Bernardi I. Abbatis Casinensis Specu-
lum Monachorum seu quaestio de his, ad quae
in professione obligatur monachus, et quae sint
in regula, quae habeant vim praecepti, quae man-
dati et quae consilii. Denuo editid P. Hilarius
Walter O. S. B. 12^o. (XXVIII et 250 p.)
M. 2.40 = Fr. 3; linteo relig. M. 3 = Fr. 3.75.



DE NUEV
BIBLIOTEC